Adnotationes criticae

quibus

C. Velleji Paterculi

ex

historiae romanae libris duobus

quae supersunt

pristinae integritati reddere

conatus est

Carolus Schœpfer,

Phil. Dr. AA. M. et ministerii scholastici candidatus.

Accedit Rutilii Lupi de figuris sententiarum et elocutionis libri primi fragmentum in vetustissima membrana repertum.

Quedlinburgi,

vendunt fratres Ernstii.

1 8 3 7.

Nordhusae, typis Friderici Fritschii.

Quinque anni transierunt, ex quo primum perlegi ea, quae Velleji Paterculi de scriptis supersunt; quod quidem nullo alio tum consilio mihi factum, quam ut Latinitatis ejus cognitionem caperem, namque rerum gestarum ab eoque enarratarum ratione habita, pauca tantum ex ejus libellis disci posse, pridem aliis ex libris cognitum tenebam. Editio autem, qua tum usus sum, fuit illa, quae anno millesimo octingentesimo Viennae prodiit, textum e recensione Janii et Krausii exhibens. Qua sola editione, annotationibus nullis illustrata atque explanata eam uti tunc deberem, aliam ad manum non habens, in permulta impedimenta inter legendum me incidisse, et paene innumeras difficultates vincere debuisse, quisque, etiam non admonitus, sciet, qui cognoverit, quo in statu hodieque textus Vellejanus jacet. Praecipue in uncinis, quorum usus in illa editione paullo est frequentior, saepissime haesitabam, nesciens utrum sententiam intermediam, an locum corruptum, an lacunae supplementum indicarent. Sed jam tum comperi, omnino textum Vellejanum innumeris mendis laborare. Jam igitur illo tempore de periculo faciendo cogitabam, an et ipse ad restituendum Vellejum pristinae suae integritati aliquid, quantulumcunque illud sit, adferre possem. Quod quo facilius et felicius peragerem propositum, alias quoque editiones mihi

parandas duxi. Ac primam quidem praestantissimam Ruhnkenii adhibui, ex qua quam magnum ambitum haberet infortunium, in quod incidit Vellejus, cognovi. Vidi solis conjecturis posse restitui hujus scriptoris textum, et de harum dubia semper et incerta fide una et consentiens est vox omnium, qui edendis scriptorum classicorum libris non id spectant, ut ingenium suum ostentent, sed ut eum exhibeant textum, qui maximam similitudinem cum genuino et ab ipso auctore profecto habeat. Sed ab antiquissimis inde temporibus, id quod sane dolendum est, in civitate literaria viri extiterunt, qui solius ingenii ostentandi causa conjecturis implerent antiquitatis monumenta; quibus praecipue in Vellejo nostro satis magnus campus patuit, in quo libere exsultare et late vagari possent, quia temporum injuriae nullum Velleji reliquerant nobis codicem manuscriptum, excepto illo Murbacensi, qui et ipse, ubi a Rhenano et Burerio typis exscriptus est, nescitur quo iniquo fato, periit.

Satis attente ac curiose perlegi Ruhnkenianum Velleji textum, in quo rariores conjecturae deprehenduntur, quique magis, quam ille aliarum editionum, ad similitudinem editionis principis accedit; eadem diligentia et cura legi doctissimi Ruhnkenii notas, quae certiorem me fecerunt, cum nimis saepe sine ullis necessitatis legibus in editiones nostras conjecturas esse receptas, tum plerasque conjecturas partim omnino non necessarias, partim a veri similitudine abhorrentes esse. Idem non in Vellejo tantum, sed etiam in omnibus aliis et Graeciae et Latii veteribus scriptoribus accidisse, postea intellexi. — ,Lecto Ruhnkeniano Vellejo in catalogo librorum, qui in nundinis Lipsiensibus a. 1829 venum ierant vidi, ex officina Pan-

Panckouckii, bibliopolae Parisiensis, una cum Floro novam Paterculi editionem, „ad optimas editiones recensitam," prodiisse; quem librum, quamvis satis magno pretio constat, tamen statim mihi parandum duxi. Sed egregie mihi et omnibus libri emtoribus imposuit Panckouckius. Editio illa, praeter valde mancum indicem, nihil continet nisi typis repetitum textum editionis Ruhnkenianae; quae tamen repetitio, nescio dixerim tam curiose an tam incuriose, facta est, ut vel manifesti errores typographici in eam transierint. Quod in doctissimi Batavi editione maxime laudandum est, idem est vituperandum maxime in Panckouckii editione. Ruhnkenius reliquit fere omnes corruptos locos in contextu, sed in egregiis suis annotationibus quomodo hi loci vel intelligendi vel emendandi sint docuit, ita ut habeat quidem lector antiquum neque ad editorum arbitrium constitutum textum, sed nihilominus inter legendum haerere in illis locis corruptis non possit, si excipias eos locos, quibus Ruhnkenii temporibus medicina nondum inventa erat; sed in Panckouckii editione, quae sine notis est, suo loco non est corruptus ille et vitiatus textus, cum exspectare non possimus ut lectores, qui utuntur et utentur ea, intelligere possint innumeros [illegible]stos locos, quibus expediendis tot tantorumque virorum studium et ingenium vix suffecit. Magnopere sane gradum refert, qui librum edit, in quo, quantum in his ducentis annis in optimis studiis profectum sit, non conspicitur! Indignabundus abjeci librum, qui quid prodesse possit non video.

Accepi etiam editionem Bipontinam secundam. Textus ejus non tam libidinose constitutus est, quam in priore editione Bip. id factum esse dicitur; ipse enim nunquam

eam vidi. Ceterum editor secundus diligenter usus editionibus Ruhnkeniana et Janio-Krausiana, et annotationes ejus, maximam partem criticae, pretium habent.

Eodem fere tempore aliam etiam editionem Vell Cludii dico, cognovi. Si unquam vir magis invitis Mu et pingui Minerva, quod ajunt, classicum auctorem edid meo quidem judicio Cludius is est. Conjecturae praecip ejus saepissime eae sunt, quae risum, saepius etiam qu commiserationem moveant; annotationes in universum spectas, auctoris ingenium retusum, et inscitiam non ve teris elegantiae dico, sed omnino latini sermonis, produ

Sed mox omnino Velleji studia intermisi, namq Frotscherus spem hujus scriptoris secundum exemplar cum notis Ruhnkenii denuo edendi moverat, atque sp rabam fore ut ipse novis animadversionibus hanc editi nem ornaret et multa adhuc vitiata corrigeret. Fuit a tem cum proxime insequutis temporibus res meae praet omnem opinionem caderent ac paene prorsus verterent ut ipse Frotscheri novam editionem, postquam typis d scripta est, legere non possem; sed ab aliis cum mag meo dolore audiebam, novam editionem Ruhnkenii tant notas exhibere, novis haud additis. Alia etiam editio a duo annos prodiit: „C. Velleji Paterculi historiae roma nae libri II. Urschrift, Uebersetzung und Rechtfertigu v. F. N. Wolter.“ sed nec hanc inspicere potui, diutius etiam Velleji studium neglecturus fuissem, ni Huthius Gymnasii Altenburgensis praeceptor in program mate (1834) quaestiones Vellejanas edidisset. Vide bam enim virum doctissimum multa mihi praeripuisse timebam ne idem aliquando eveniret omnibus iis, qu ipse primu vidisse se gaudeo. Decreveram igitur nota

uas ad Vellejum conscripseram, edere, sed deerat mihi ibliopola. Interea Orellius et Kreyssigius edebant Vellejum, ipsi quoque multa mihi praeripientes, et nunc denique annotationum edendorum occasio mihi facta est.

Est autem, quod paucis doceam libelli lectores, quae mea fuerit ratio in his conatibus integritatem pristinam uibusdam Velleji locis restituendi. Et praecipue quidem nonendum est, quod supra jam indicavi, nihil aeque mihi xosum esse, atque aviditatem illam locis paullo obscuioribus, nulla alia eorum explicandorum ratione tentata, onjecturali statim critica occurrendi atque alia adurere, ecare, alia addere, intrudere, alia mutare, interpolare. uanquam bene teneo hanc esse viam maxime compendiriam ad celebritatis quandam et nominis famam acquiendam, dummodo ingenii quaedam dexteritas et virtus ad ersuadendum accommodata accesserit. Sed mihi credite, onge plurimae conjecturae proficiscuntur ab iis, quibus ngenii celeritas quidem, non vero exquisitior linguae cientia est. Ipse igitur ibi tantum emendare conatus um, ubi nulla certe alia ratione sensus loci manifesto epravati et corrupti sanus atque integer reddi possit; lios autem multos locos, qua ratione probe intelligi posint docens, vindicavi a conjecturis aliorum, quae quot mendationes sint habitae, tot corruptelae mihi erant visae. Iultae etiam emendationes hinc profectae sunt, quod viri octi obliti erant Vellejum negligenter saepe, saepe arute, saepe etiam poeticae scripsisse. Cum autem de ebus ad grammaticam artem pertinentibus loquor, tum olint, qui perlegendo libello studium suum navaturi sint, redere, me omnino abunde satisfacere voluisse iis totis uaestionibus, sed tantum quodammodo supplere voluisse

ea, quae jam traduntur in vulgatis libris, e quibus Grammaticorum praecepta discuntur.

Verum nihil est, quod tota cogitatione magis cupiam, quam ut, si non semper, saepe tamen, quae vera sint, creverim, et aliquem certe fructum e studiis meis capiat Vellejanus contextus; ubi vero lapsus sum, ibi aequi judices eo jam contenti sint, quod prodesse certe volui.

Scribebam Nordhusae Calend. Nov. 1836.

Liber I.

Cap. I. in Cretam insulam rejectus] Drakenborchio ad Liv. XXIII, 34., probante Rhunkenio, legendum videbatur *dejectus.* Vulgatum defendit Krause ex Caes. B. G. V, 5. *naves tempestate rejectas.* Sed notissimum puto, verba cum *re* praep. compos. haud semper iterationem rei indicare atque etiam ap. Flor. III, 3, 2. cum codd. omnibus hinc retinendum mihi videatur *remigrarent.* De praepositione inseparabili *re* cf. Rudim. instit. T. I. p. 318. ed. Stallb.

Qui se etiam] Rhunk. maluit cum Wopkens. Misc. Obs. VIII. p. 21. *quin se etiam,* sed nihil mutandum. Sic Flor. III, 1, 14. *Qui et urbem Herculi conditam Capsam — superavit,* quae lectio mss. Regg. Toll. Duisb. Franeq. Ed. pr. mihi quidem magis placet, quam vulgata *hic urbem* cet. Cf. Sext. Ruf. 4. *qui et triumphavit* cet.

Nam quod pactae ejus] Doctis editoribus, Manutio auctore, placuit *ei,* sed *pacta* hic subst. accipiendum, ut Virg. Aen. X, 79. Sic *nupta* est subst. ap. Ov. Her. XVI, 164. Fast. II, 794. Catull. LXI, 80. et *sponsa* Hor. Carm. IV, 3, 21. Haud raro poetarum more scripsisse Vellejum, infra saepius docebo. Alia adjectiva, quae substantivorum loco ponuntur vid. ap. Rudim. Tom. II, p. 3. de genitivo, quem eadem adjectiva regunt, cf. eund. T. II. p. 92. Erravit autem Heins. *ejus* vix excusari posse pro

suae putans, et Hottinger. Mus. Turic. Vol. I. Tom. II. p. 349. omnino ejiciendam esse vocem censens. Sed vid. quae dicam ad II, 68.

Pervectus in Italiam] Muncker. ap. Heins. ad h. l. mavult: *Is pervectus;* cui perperam assensi sunt pleriq. edd. Sic 1, 10. *Mandataque exposuit;* 12. *Bellum Carthagini* cet. II, 23. *Nimirum veri* cet. II, 31. *In Antonio* cet. 26. *Apud Sacriportum* cet. Quos omnes locos corrigendos putaverunt vv. dd.

Cap. II. Immixtusque castris hostium de industria, imprudenter, rixam ciens, interemtus est.] Ita lege atque interpunge. Cod. habuit *rixam ncies* unde nostrum fecit *Burer.* sed Rhenan. *rixam injiciens,* quem secutus Jani. — *Imprudenter* conjunge cum *interemtus est,* nec vero ideo cum Acidalio post *rixam ciens* colloca.

sed ii] Ed. pr. *sed hii,* ut saepissime veteres libri cum aspiratione. Cf. Cod. Vat. Cicer. de Rep. II, 4. in *hiis vitiis,* pro *in iis vitiis.*

in extremo nostri orbis termino] Ruhnk. abjici vult praepos. nimia emendandi libidine.

insula circumfusa Oceano] Ed. pr. *insula* unde Junt. et Ed. Bas. fecerunt *insulam,* sequentibus editt. probantibus. Sed non video, quomodo quis dicere possit *insulam Gades condidit* pro *in insula Gad. cond.* nisi forte locum referre velis ad eas ineptias, ut ita dicam, quas elegantias argenteae aetatis scriptores credidisse videntur. Cf. I, 17. *minus LXXX annis circumdatum aevum.* Flor. III, 4, 5. *Minucius (Thraciam) toto vastavit Hebro;* coll. qui eum imitatus Sext. Ruf. 9. *M. Minucius Thracas in Hebri fluminis glacie vastavit.* Flor. II, 8, 9. *insula tenui* FRETO *continenti* ADHAERENS; id. in praef. 8. *Sub Trajano principe (Romanum imperium) movet lacertos,* quod imitatus Sext. Ruf. 20. dicit: Trajanus — *reip. movit lacertos.* Sed taedet plures hujusmodi locos congerere. Jam vero qu

ad nostrum Vellejanum locum adtinet, nihil mutandum censeo. Omissa praepositio *in* ante *insula* fefellit viros doctos. Sed cf. quae dicam ad II, 68. coll. Vechn. Hellenol. I, 5. Cort. ad Sall. Jug. 7, 2. 33, 4. Rudim. ed. Stallb. II. p. 283.

12. circa Lesbum insulam] Janius legit *contra* L. Falso. *Circa* idem valet quod *prope, e regione*. Sic. II, 20. *circa Nolam;* 77. *c. Misenum pax inita;* 69. *c. Dyrrhachium;* 68. *c. Thurios oppressus est;* 47. *c. Bovillas jugulatus est;* 32. *c. Ciliciam;* 19. *c. paludem Maricae;* Flor. III, 10, 24. *c. Gergoviam;* cf. Hor. IV, 2, 30. — Orestis liberos enim etiam Lesbo vicinam Aeolida occupasse, testis est Strabo XIII. p. 582.

Cap. III. qui illo tempore vixerunt, dixérunt] Quibusdam male sonare visum est: *vixerunt, dixerunt,* et scripserunt igitur *vixerant*. Sed nihil mutandum, cum talia veterum aures minime offendisse videantur. Cf. cap. 7. *Capua capta;* II, 20. *Itaque cum ita;* I, 17. *inter quas has.*

multo post Ilium captum condita] Sic scripsi pro *conditae,* quod in editt. est, ut referatur ad *aetate.* Quisque enim, paullo accuratius nexum examinans, videbit de nominibus tantum urbium Vellejum hic agere, non de tempore, quo sint conditae. De Homeri autem aetate ipse Noster I, 5. eam longius a temporibus belli Trojani, quam quidam putent, abfuisse dicit. Cur autem non credamus *aetatem condere* dixisse Vellejum? Sic *dies conditur* Plin. ep. 9, 36. Paneg. 105. fin. Coll. Hor. IV, 5, 29. *Condere saecla* habet Lucret. III, 1103. *condere soles* Virg. Ecl. IX, 52. *c. lustrum* Cic. Or. II, 66. Liv. I, 44. III, 24. XXXV, 9.

Cap. IV. Utriusque urbis — amoenitate sua dignissimas] Interpretatur locum Krausius: „Fides utriusque urbis Romanis praestita effecit, ne delerentur, civesque sedibus amoenissimis pellerentur;" ipse vero crediderim, locum ex arrogantia Romani auctoris potius in-

telligendum esse, credentis Romanorum amicos tantum felices esse et amoenis sedibus uti debere.

Sed aliis diligentior ritus cet.] Ita ed. *aliis*, quod pro *alteris* positum defendit Jani. Sed Ruhnk. scribi jussit *illis*.

eadem profecti Graecia] Haud scio an nemo alius veterum sic locutus sit. Schellerus quidem in lex. s. v. *proficiscor* dicit ap. Liv. XXIX, 26. esse *portu profecti* pro *ex por. pr.* sed legitur ibi: *Multae classes Romanae e Sicilia atque ipso illo portu profectae erant*. Praep. igitur non deest sed abest, cum ejus repetitione post *atque* opus non fuerit. Verum Noster etiam II, 62. *profecti urbe atque Italia*, ut omnino ad omittendas praepositiones propensus est, quae res in sequioris aevi scriptoribus saepissime notatur.

et alias urbes] Repetitam vocem *urbes* pro glossemate habuerunt vv. dd. nescientes, veteres non tanta cura voces repetitas evitasse, quanta hodie fieri id solet. Cf. Vell. I, 8. *Id actum — Id gessit.* II, 1. *aperuerat — aperuit.* II, 47. *Caesar — Caesarem.* Cic. Rep. III, 9. *dicimur — dicimur.* I, 44. *principum — principum.* Permulti etiam in veteribus scriptoribus loci ob has repetitas voces falso emendati mihi videantur, ut Cic. Lael. 16, 56. *sunt autem qui sint.* ib. 16, 57. *quae nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum.* 17, 62. *dicere posse — non posse dicere.* — Sic restituendum e mss. est Flor. III, 10, 16. *Britanniam petit. In Britanniam transit.* Rutil. Lup. I, 2. *et desiderandi dari datur.* Senecae de ira I, 16. *locum dat et tempus dat.* Corn. Nep. Themist. 5. e ms. Voss. 3. *interim* TAMEN *ab eodem.* Sed alii jam hanc iterationem defenderunt, ut Schrader. ad Musae. p. 18. 231. 239. 242. Burmann ad Vell. I, 3. Heusinger ad fragm. Corn. Nep. Guelpherbyt. p. 142 sq.

Cap. VI. disciplinae convenientissimae vir] *convenientissimae* sc. *legibus*, ipse enim legibus suis semper

convenient vixit, cf. Justin. III, 2. *Siquidem nihil lege illa in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret.* Non erat igitur, quod vv. dd. in his verbis offenderent.

Caranus vir generis regii] Spuria haec verba judicaverunt editt. plerique, sed vid. quae dixi ad c. 4. de repetitis vocibus.

Cap. VIII. omnisque generis certaminum] *omnisque* h. e. *omnis quoque. Que* pro *quoque* Nostro usitatissimum fuit. Cf. II, 12. *gensque.* 107. *motumque.* Sic Plin. H. N. VII, 4. *Gravidis autem quarto et octavo mense letalesQUE in iis abortus.* Flor. III, 22, 2. *Missusque in Oceanum, fortunatasque* (h. *fortunatas quoque*) *insulas penetravit,* quem locum vv. dd. non intelligentes emendandum putavere. Adde locos Schellero in lex. jam laudatos.

cum imbelli et pastorali manu] Haec verba e textu ejecerim, cum manifestum glossema redoleant. Addita sunt a sciolo vocem *aliter* interpretari conante. Minorem fuisse manum, quam quae illis populis opponere sese potuisset, libenter concedam, non vero imbellem. Cf. Liv. I, 4. „Ita geniti (Romulus et Remus), ita educati, quum primum adolevit aetas, nec in stabulis nec ad pecora segnes, venando peragrare circa saltus. Hinc robore corporibus animisque sumto, jam non feras tantum subsistere, sed in latrones praeda onustos impetus facere, pastoribusque rapta dividere et cum his, crescente in dies grege juvenum, SERIA AC JOCOS CELEBRARE.“ Et ipse Vellejus in proxime antecedentibus narravit, Romulum jam fuisse *ultum injurias avi,* quod cum imbelli manu non potuisset, nam Cic. Rep. II, 2. fin. quoque Longam Albam, quam cum illa manu oppresserat Romulus, validam urbem et potentem fuisse temporibus illis, scribit.

Quamquam jam asylo cet.] Quare sollicitanda sit vox *jam* et *eam* cum Heinsio vel *etiam* cum Jacobsio scribendum, non video. Commode autem *jam* nostro loco

etiam reddi potest, uti saepius etiam apud Ciceronem cf. ad Divers. I, 4. *provisum est, ut ne quid sal... auspiciis aut legibus, aut jam sine vi agere possi...* Cat. I, 8. *Si hoc — dixissem, jam mihi consuli ... natus — manus intulisset.*

Cap. IX. Ut plerumque superior fuerit] Ita Rhenanus, sed cod., teste Burerio, ut etiam cod. Amerbac... habuit *fuit,* quae fortasse vera lectio est. Videtur autem mihi ita interpungendum; *ut (plerumque superior fuit) magnamque partem* cet. *Magnamque* h. *magnam quoque,* cf. me ad cap. 8.

Quin Rhodii quoque] Sic ed. Bas., sed ed. pr. *Quibus;* Herelius tentat: *Ex quibus.*

medius fuit animo] *Fuit* melius abesse visum est editoribus, sed nihil mutandum. Accipiendus enim locus, ac si esset: *medius fuit animo,* ET *neque* cet. Sed vid. quae de asyndeto monebo ad cap. 17.

mortem obierat] Ita Rhenan. sed cod. *morte,* quod fortasse non damnandum sit. Apud Suetonium enim est Aug. 4. *obiit morte repentina.* Sed Ernesti cum aliis hic quoque *mortem repentinam* fecit.

Samothraciam profugit] Jani edidit *perfugit,* cum proxime antecedat *profugere.* Sed vid. quae dix... ad cap. 4.

aerario contulerit his, et omnium] Ita rec... ed. pr.; *his* h. *is,* sc. triumphus, cf. ad c. 2. ubi *hii* pr... *ii.* Falso cod. Amerb. *aer. contulerit, his et ante.*

contulerit, et omnium] Jani scripsit *ut omnium* sine idonea causa.

Cap. X. tum rex Syriae] Sic correxit Aldus Nep. Ed. pr. et cod. Amerb. *regem,* unde suspicor fuisse *regens,* quae vox pro *rex* vel *princeps* etiam apud Claudian. cons. Hon. 301. et de Stilich. I, 168. legitur.

alterum ex suis] Ed. Bas., probante Ruhnk... *ex his,* qua conjectura minime opus est. Vide quae de abundante pronomine notabo ad II, 86.

Cap. XI. quae fuere circumdatae] Hic quoque repetitum *quae* invenustum putavit Ruhnkenius idque ejiciendum putavit. Heinsius *circumdatas* pro *quae fuere circumdatae* ob eandem causam legendum censuerat. Sed recole, quae monui ad cap. 4.

impetrasse a Lysippo] Hanc ed. pr. lectionem merito tuetur Jani contra conjecturam Freinsh. ad Curt. III, 11, 27. Ruhnkenio quoque et ed. Bipontinò probatam: *imperasse Lysippo.*

in iis ipsis monumentis] h. intra illas porticus, quod Gruterus primus vidit.

vel magnificentiae vel luxuriae] Temere ed. Bip. II. cum Ruhnk. *hujus vel.* Est quidem II, 33. *Lucullus — hujus in aedificiis convictibusque et apparatibus luxuriae primus auctor fuit,* sed etiamsi hujus loci non esset alia ratio, ut est, namque de certo quodam luxuriae genere fit sermo, tamen inde nondum sequeretur, ubique sic scripsisse Vellejum. Addam, quamvis in re manifesta, locum II, 1. *Potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae posterior aperuit.*

Cap. XII. Omnibus belli ac togae dotibus, ingeniique ac studiorum] Ita ed. pr. Recte. *Ingeniique ac studiorum* pertinet ad *dotibus,* nec, puto, tantopere sudaturos in hoc loco explicando fuisse interpretes, si scriptum fuisset: *omnibus belli ac togae, ingeniique ac studiorum dotibus.* Similis ratio est loci Plutarchi aud. poet. 10. fin. quem adscribam, quamvis una Krebsii editio mihi ad manus sit et nesciam, an recentiores interpp. rectius eum intellexerint. Est autem hic: ἀποδείκνυται πᾶν εἶδος ἀρετῆς ἐπιγιγνόμενον ἑκάστου καὶ διδασκαλίας. Omnis loci difficultas tollitur, si conjungis εἶδος ἀρετῆς καὶ διδασκαλίας. Verum haec verborum disjunctio tritiore usu et consuetudine a Romanis Graecisque scriptoribus recepta est.

Bellum Carthagini] Kraus. et ed. Bip. e Ruhn-

kenii conj. *Is bellum*. Sed recole, quae dixi ad cap. I, n. 6.

quam ullius ejus temporis noxiae] Genitiv. *ullius noxiae* regi ab *invidia* ed. Bip. II. jam docui; Gruter. probantibus Burm. et Ruhnk. conjecerat: *ulla* — *noxa*.

Neque ante invisum esse desinit, quam esse desiit] Recte interpretatur Jani haec verba: *neque* id, quod semel *invisum* est, ante esse invisum desinit, quam *esse*, h. existere, desiit.

Cap. XIII. semperque aut belli aut pacis serviit artibus] Tautologia, quae huic loco inest, movit Ruhnk. ut verba: *semperque* — *artibus* expungenda censeret; Krausium, ut sequentia: *inter arma et studia versatus* suspecta haberet. Sed nihil mutandum, cum saepissime talia in antiquitatis scriptoribus, etiam brevitatis perstudiosis, reperiantur. Sic apud Nostrum I, 11. *Pseudophilippus, a mendacio simulatae originis appellatus, qui se Philippum regiaeque stirpis ferebat*. II, 92. *Tum Sentius consul, cum alia prisca severitate summaque constantia, vetere consulum more ac severitate, gessisset.* Est tamen locus, quem non possum, quin emendandum censeam Flor. III, 1, 10. *jam simulata, jam quasi vera fuga eludentem*. Lege cum mss. Berol. Duisb. Pal. 2. *jamque vera fuga*. Quam lectionem etiam ed. pr. exhibet. Ac recte quidem, cum repetitum *jam* omnino diversas res indicet, ferrique igitur non possit editt. lectio *quasi vera fuga*, idem valens ac *simulata fuga*.

eos redditúros] Ruhnk. et ed. Bip. ex Heins. conj. *esse reddituros*, cujus emendationis justam causam non video.

decori publico] Videant me doctiores, an legendum sit *fenori*.

Cap. XIV. et ipsarum praefulgent nomina] Sic ed. pr. *Praefulgent*, h. nota sunt, recenti memor

teneatur, quia non ad antiquitatem pertinent, sed Sulla primus eas deduxit. Quod non videntes vv. dd. Burmanno auctore scripserunt: *ex ipsarum praefulgent nomine.*

Huic rei per idem tempus civitates propagatas] Sic ed. pr. Recte. Dicit Vellejus, se coloniarum deductarum enumerationi subtexturum, quarum urbium incolis civitas Romana data. Fefellit autem vv. dd. pluralis *civitates*, qui etiam causa fuisse videtur non intellecti loci II, 60. *insertis falsis civitatibus.* Sic Cic. Phil. XII, 5. *Immunitates ab eo, civitates, sacerdotia, regna venierunt.* ibid. V, 4. *regna, civitates, immunitates.* Haud opus igitur sit nostro loco emendatione Lipsii, legentis: *civitatem propagatam.*

Tarracinam deducta colonia] Ita ed. pr. Lipsius: *Tarracina*, ut cum sequentibus conveniret. Sed Ruhnk. jam vulgatam defendi posse duxit ex iis, quae Gronov. ad Liv. IX, 28. et Drakenb. ad XXXIX, 44. annotarunt. Saepissime autem reperitur similis orationis varietas. Cic. Q. Fr. 2, 11. *Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt: non multis luminibus ingenii, multae tamen artis.* id. N. D. II, 59. *Plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus.* ad Att. VIII, 3. *Navis et in Cajeta est parata nobis et Brundisii.* Ramshorn. Gr. L. §. 148, 1. d. not. 3. dicit ideo *in Cajeta* esse a Cicerone scriptum, quia in portu Cajetano navis esset parata. Quasi vero Brundisii in foro id factum esset! Sallust. B. J. 74. *Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti.* Tac. Ann. II, 70. *Ea Germanico haud minus ira, quam per metum accepta.* Sed cf. Cort. ad Sall. Cat. 25, 2. 33, 1. et Ruddimann. ed. Stallb. Tom. II. p. 344.

Fregenaeque adeo post biennium] Ed. pr. *Fregellaeque anno.* Pro *Fregellae* correxit *Fregenae* Sigon. ad Liv. Epit. XIX. Pro *anno* quod omnes editt.

improbaverunt, scripsi *adeo.* Saepius enim conjungendi particula est *adeo,* eandemque vim habet atque: *praeterea, insuper, ad hoc, etiam* cet. Cf. Plin. H. N. XXVI, 63. de herba quadam: *Venerem, etiamsi omnino manu teneatur radix, stimulari; adeo si bibatur in vino austero.* Cic. pro Caecin. 30, 87. *Id adeo, si placet, cognoscite.* pro Cluent. 30. in. *Id adeo sic cognoscite.* Minuc. Fel. Oct. 7, 9. *Inde adeo pleni et mixti Deo vates futura praecerpunt.*

Cap. XV. Cui in demoliendo eximia civitatis severitas] Ita cod. Recte. Sensum loci sic habe: *huic* restiterunt consul Scipio et civitatis severitas, eximia in demoliendo isto theatro; h. severitas, quae in demoliendo theatro eximia fuit, gravior exstitit quam alias; severitas, quae in devastando theatro eximiam se praestitit.

Cap. XVI. gurgitis ac verticis modo] Verba *ac verticis* e glossa fluxisse putat Ruhnk. Falso. Cf. Ramshorn. Gr. Lat. §. 204. 1. f.

et in idem artati temporis congruens spatium;] Ita locum exhibuit cod. Recte. *Artati* pro *artati sunt,* non cum voce *temporis* conjungendum est, sed pertinet ad *ingenia.* Est autem constructio ad synesin.

alioque septo] Ita recte cod. sed editt. inde a Lipsio *aliove.* Scheller. in lex. s. v. *que* laudat similes locos Virg. Aen. II, 37. VI, 616. IV, 143. Hor. Sat. II, 7, 58. sed censet et his quoque locis legendum *ve* pro *que,* quod ipse tot locorum consensu faciendum non putaverim.

in unum quoque corpus congregantur] Ita cod. sed editt. auctore Lipsio *quaeque.* Mox pro *in similitudinem* Ruhnk. scripsit *in similitudine.* Sed vv. dd. ne tenuissima quidem suspicione assecuti videntur loci sententiam, quae haec est: Quemadmodum diversi generis animalia quoque, ab aliis separata, capso eodem clausa, amicitiam contrahunt, ita cujusque clari operis capacia ingenia semet ipsa ab aliis separaverunt in similitudinem

temporum et profectuum, h. ut congruerent et tempore et profectibus. Totus locus ita legendus et interpungendus: „Quis enim abunde mirari potest, quod eminentissima cujusque professionis ingenia in eandem formam et in idem arcti temporis congruens spatium; et quemadmodum clausa capso aliove septo diversi generis animalia nihilominus, separata alienis, in unum quoque corpus“ cet.

Ac novam comicam] Pro *ac* scripserunt editt. *at* sine omni justa causa. — Vocem *comicam* damnaverunt critici, sed ipse, quamquam ex alio scriptore mihi nota non sit, nihil tamen mutaverim. Sic fuerunt *poëtica, rhetorica, arithmetica, dialectica* alia.

Philosophorum quoque ingenia omnium, quos paullo ante enumeravimus] Fateor me locum non intelligere. Ed. Bip. verba: *omnium — enumeravimus* transfert post *Adeo quidem,* ubi addito etiam vocabulo *aevum* legit: *Adeo quidem omnium, quos paullo ante enumeravimus, aevum artatum* cet.

Cap. XVII. sub pari aetate nituerunt] Ita cod. *Sub pari aetate* est *eadem aetate.* Cf. Ov. Fast. V, 491. *sub eodem tempore.* Nep. Att. 12. *sub ipsa proscriptione,* quod in ind. expl. Bosius: *ipso tempore proscriptionis,* laudato etiam Sueton. Claud. 43. *sub exitu vitae.* Flor. II, 11. *sub adventu hostis.* Haud igitur emendatione Acidalii *suppari* opus esse videtur. — Vell. II, 108. *sub initia stipendiorum meorum.*

ut et Livium quoque] Sic *et — quoque* Liv. XLI, 24, 16. *ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus.* *Etiam — quoque* Pandect. l. I. tit. 1. de just. et jur. §. 1. *verum etiam praemiorum quoque.* coll. Plaut. Pseud. I, 3. 119. Ter. Hec. V, 1, 7. *Quoque — etiam,* Cic. Div. IV, 8. med. *sed ea quoque etiam.* coll. Plaut. in extr. Menaechm. *Nec non etiam,* Aquil. Rom. 21. *nec non etiam ipse Demosthenes.* *Nec non et,* Plin. H. N. VII, 18. *nec*

non et alii multa sibi imperavere. Et — etiam, Cic. Div. V, 2. fin. *Addam et illud etiam.*

eminentia cujusque operis] Ex Rhenani emend. nunc est in editt. *et eminentia.* Sed abjeci copulam, quae in cod. non fuit, cum saepissime apud Vellejum et alios scriptores absit. Sic supra cap. 8. *certamen — Olympiorum initium habuit, auctorem Iphitum Elium.* II, 74. *Perusiam expugnavit, Antonium inviolatum dimisit.* Fortasse etiam punctum ante *eminentia* ponendum. Plures locos infra passim interpretabor.

Hujus ergo recedentis in quoddam saeculum ingen. similitudinis, congregantisque, cet.] Ita Jani. Cod. habuit: *hujus ergo recedentis mq. seculum ingeniorum similitudines congregantesque* cet. Fortasse fuit: *hujus ergo rei, edentis in quoddam seculum ingeniorum similitudines congregantesque* cet.

nunc admiratio incitationem acc. naturaque quod cet.] Sic cod. Recte. Sensus Velleji est: natura ascendere in summum, quod summa incitatione (summo studio, ardore) petatur, et hinc illam, quam dixerat, congregationem nasci. Pro *incitationem* est in editt. *imitationem* ex Acidalii conjectura, nescientis fortasse *incitationis* vocabulum non activam tantum, sed etiam neutralem (sit venia verbis!) notionem habere, cet. non videntis *incitationem* respondere sequenti *summo studio.* Idem mutavit *naturaque* in *maturequе.* Eadem autem ratio toti loco est, atque sequentibus verbis, nisi quod ibi *naturaliter* pro *natura* est.

Cap. XVIII. Transit admiratio ad conditionem temporum] Sic cod. pro *transiit;* quod non videntes vv. dd. in proxime sequentibus pro *ad conditionem* auct. Schegkio *a conditione* scripserunt. Dicit autem Vellejus *admirationem,* qua affectus erat supra, cum scriberet verba c. 16. *Quis enim abunde mirari potest* cet. quae admiratio transierat ad conditionem temporum verbis: *Una, neque multorum annorum spatio divisa,*

aetas cet. Huth. quaest. p. 10. emendat: *transit admiratio ad conditionem, ut temporum, et ad urbium.*

et ad urbium] sc. *transit* sive *transeat*, quae ellipsis notissima est. An fortasse pro *et ad* scribendum est: *restat?*

Una urbs Attica pluribus annis eloquentiae, quam universa Graecia, operibusque floruit.] Construe: *Una urbs Attica eloquentiae operibus quoque pluribus annis floruit, quam universa Graecia.* Hic enim de sola eloquentia agi docent sequentia: *Neque ego* cet. — De *que* pro *quoque* egi ad cap. 8. de minus usitato ordine vocum vid. me ad II, 33.

Quae urbes et initalia studiorum cet.] Ita cod. Recte. *initalia* est pro *initialia* ut ap. Capitolin. Antonin. Phil. 27. in. h. e. *initia*. Est autem Acc. graec. quem Grammatici dicunt.

Liber II.

Cap. I. Nunquam plura quam decem millia] Sic Aldus Nep. Ed. pr. *nunquam decem plura quam propriae* cet. Fortasse fuit: *n. X. plura quam M pr.* Vid. quae de minus usitato vocum ordine dicam ad cap. 35.

Hic primus e Pompejis consul fuit] Acidalius haec post *Pompejum* fuisse suspicatur, sed haud semper parenthesis ad quod verbum pertinet, id statim subsequitur. Cf. Cic. Rep. II, 10. *A se visum esse in eo colle Romulum, qui nunc Quirinalis vocatur.* Flor. IV, 12, 11. *postea Asinius Pollio gregibus, agris, armis multaverat (hic secundus orator).*

Cap. IV. occupaverat; is victus a M. Perperna] Ita Ald. Nep. In ed. pr. deerat praepositio. Sed cf. quae monui ad I, 4.

Seu fatalem, ut plures] Minime est, quod cum Ruhnk. scribas: *Sed seu.* Eadem licentia tentat Herel. II, 123. *Ar ingravescente valetudine*, et Jacobs II, 130. *Ar si aut natura patitur.*

Cap. V. deterritus proposito. Perseverantia ducis] Ita ed. pr. Post *proposito* interpunxi, quae interpunctio cum deesset in editt. e Burmanni conj. scripserunt Kraus. et Ed. Bip. *deterrita* ut referatur ad *perseverantia.* — *Deterritus proposito*, pro *a proposito*, ut *d. victu foedo* Hor. Art. 392. *d. ausis* Lucan. X, 375.

Pauli exemplo, disciplinae] *ac virtute ac severitate.*

Cap. VI. frumentum plebi dari] Ita ed. pr. Nec opus videtur emendatione Aldi Nep. *dare.*

Triumvirum nominaverat, eum socium] VV. dd. vocem *eum* corruptam credentes, asyndeton non viderunt. Simillimus est locus Cic. Rep. II, 10. *a se visum esse in eo colle Romulum, qui nunc Quirinalis vocatur, eum sibi mandasse* cet.

in ponte hostibus ejus] h. hostibus Gracchi. Cod. Amerb. recte post *ejus* interpungit, cum in ed. pr. ante *ejus* hoc factum sit. Non igitur cum Heinsio vox *ejus* ejicienda.

Cap. VII. quod inimicitiarum quaesita erat ultio] Verba *quod* — *ultio* suspecta habuit Kraus. sed nihil mutaverim, vid. ad. I, 13.

Cap. VIII. Subinde Porcio — Narbo Martius] Inserenda sunt verba cap. 15, l. I.

Adeo illi viri] Herel. conjecit *illius viri*, praeter necessitatem. *Illi viri*, h. qui tum judices erant.

Cap. IX. Nec praetereundus — et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius] Intellige: *et ante omnes dicendus*, ex antecedente *nec praetereundus*. Ex prioris membri verbo negativo affirmativum verbum membri posterioris saepissime intelligendum esse, notum est. Cf. Ramshorn. Gr. Lat. §. 205. 8. c. Minime igitur cum Ruhnk. verba: *et ante omnes L. Crassus et M. Antonius* transponenda ac post verba *Carbo Papirius* collocanda sunt.

Namque Mucius] Emendatio Aldi Nep. *Nam Q. Mucius*, quae ab editt. omnibus recepta est, minime necessaria est ideoque spernenda.

quam propriae eloquentiae nomine] *propriae* h. *insignis, singularis, praecipuae eloquentiae.* Sic Lentul. in Cic. ep. Div. X, 35. *proprium consilium* h. singulare consilium. Cf. Liv. XXXV, 33. *propriis*

ignominia. Temeraria Lipsii conj. *proprie* in editt. om[...] irrepsit.

juvenis adhuc Iugurtha] Ita ed. pr. Burm[...] conj. *juvenes.*

Cap. X. notam severitatem] Sic ed. [...] Ruhnk. conj. *notam severam*; Kraus. *notae severitat[...]*

Quod sex millibus aedes conduxisset] I[...] ed. pr. Krausius adj. HS praeter necessitatem. Cf. C[...] Phil. V, 4. *septies millies.* Juvenal. X, 335. *dec[...] centena dabuntur.* Ita supra c. 8. ed. pr. habet: *cu[...] lis ejus IV millibus aestimaretur*; sed hic quoque locu[...] falso emendatus est.

a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pra[...]vis in praecipitia pervenitur] Ita ed. pr. Ruhn[...] legi jubet: *a rectis in prava, a pravis in praecipiti[...]* reliqua glossema putans. Sterke Susp. crit. Spec. I. [...] Act. lit. Soc. Rhen. Traj. T. I., quem secuti Kraus. et [...] Bip., legit: *a rectis in prava, a pravis in vitia, [...] vitiis in praecipitia pervenitur,* quum sequutus Doed[...]lin. Synonym. T. I, p. 62.

fuere singulis omnino parentibus genit[...] Ita ed. pr. Lipsius fecit *singuli*; Kraus. *singuli singu[...]* Sed nihil mutandum, nisi forte etiam innumeri alii ve[...]rum scriptorum loci mutandi sunt, ut Liv. XXX, 3[...] *summotis pari spatio armatis, cum singulis interpr[...]tibus congressi sunt.*

Cap. XI. immodicus, gloriae insatiabili[...] Ita ed. pr. nisi quod interpungit *immodicus gloriae, in[...]satiabilis,* unde factum, ut Ruhnk. eficiendam censer[...] vocem *insatiabilis.* Cf. Just. I, 8. insatiabilis sanguin[...] Val. Max. 8, 14, 3. extr. insatiabilis laudis.

triumphus fuit clarissimus et meritum[...] virtutique cognomen cet.] Ita recte ed. pr. *Virtu[...]* h. *homini virtute claro, Metello virtute praestant[...]* Cf. Ov. Met. XIV, 113. *Virtuti nulla via invia e[...]*

Gell. II, 97. *adolescenti tot tantarumque virtutum, quot et quantas* INDUSTRIA *percipit*, h. quantas homo industriam adhibens percipere potest.

Cap. XII. postero die ab eo trucidatis] Ita recte ed. pr. VV. dd. non videntes sequens *gensque* valere *gens quoque*, scribendum censebant *trucidata*.

Cap. XIII. ut malefacta collegarum, quam optime ejus ab ipso cogitata] Sic ed. pr. Videtur abundantia accipienda, ut Ter. Ad. V, 8, 35. *suo sibi hunc gladio*. coll. Vitruv. VIII, 7. Colum. XII, 54. Plaut. Capt. I, 1, 12.

quae ab aliis intendebantur] Ruhnk. probante Krausio *illis*, sine justa causa.

Cap. XIV. immensa illa et incognita] Speciosa quidem, sed minime necessaria est conj. Acidalii *incondita*.

ubi est quae quondam] Verba *est quae* ejicienda censuit Ruhnk., quamquam lectores non monuerit, utrum in eadem domo Cicero, Censorinus et Sisenna habitaverint, an unusquisque eorum novam sibi exstruxerit. Posterius illud cum a verisimilidutine abhorreat, lectionem codicis nihil tento.

neque quisquam in eam despicere posset] Verba *neque — posset* in editt. nunc uncinis inclusa sunt, quia Boxhorn. pro glossemate ea habuerat. Sed vid. me ad I, 13.

Cap. XV. In legibus cet.] Haec usque ad *Carthago condita est* alieno loco hic illata sunt. Krausius ad cap. 8. pertinere suspicatur.

fastigium, per quod homines ejusdem cet.] per quod sc. fastigium. Sensus est: Remp. Rom. fastidire eos posse, quia in eo fastigio sit. *Per* hic valet *propter* ut ap. Ter. Andr. V, 8, 8. *parere per annos non potest*. Quod non videns Ruhnk. scripsit: *fastigium, ex quo*.

Cap. XVI. Cujus illi pietati plenam pop.

Rom. gratiam reddidit] Pro *cujus* nunc e conj. Heins. in editt. est *hujus*, quia paullo ante legitur *cujus de virtutibus*, et repetita vox invenusta videbatur. Eadem de causa mox Ruhnk. pro *retulit* praeeuntibus Perizon. et Heins. scripsit *reddidit*. Sed vide me ad I, 4. — Pro *ille pietati* quod in ed. pr. est, scripsi *illi pietati*, quomodo nunc video etiam in Amerbac. codice exstare.

quod appellarent Italicam] Ita cod., sed ex Burerii conj. in editt. est *appellarunt*. Fortasse nihil mutandum. *Italicae* enim nomine urbi imponendo significaverunt, se velle Corfinium caput et quasi proprium totius Italiae habere, et commode igitur loci sensus accipi potest: Corfinium legerant, ut id Italicam sc. urbem, h. Italiae caput salutarent. Hanc enim salutandi vim verbum *appellandi* saepius habet, ut in notissimo illo: *aliquem regem appellare*.

rem populi Romani restituentibus] Ita cod. Sed. editt. quaedam: *rem publicam populi Romani*, praeter necessitatem. cf. *res Romana* Flor. III, 22, 5. Liv. I, 28. XXI, 16. *res Albana* id. I, 16. *res Vejentium* Flor. I, 12, 8.

Cap. XVII. nisi quae Nolani belli cet.] Ita ed. pr. Praeter necessitatem dedit Vossius *qua*, Lipsius *quod*.

quam integri integris universis] Ita Ruhnk. Ed. pr. *quam integris universis*.

Cap. XVIII. concupiscenti addixit] h. prodidit, permisit et exposuit ejus arbitrio, libidini. Referendum enim verbum ad *imperia* et *provincias*. Cf. Cic. Sext. 17. in. *quos levitas tribuno pl. addixerat*. Auct. ad Herenn. IV, 27. *pueritiam intemperantiae addicere*. Haud igitur opus est Puteani emendatione: *se addixit*.

aliasque leges perniciosas] Voc. *leges* ejiciendam censet Hottinger. Falso, ut jam docui ad I, 4. et saepius.

Cap. XIX. inter quos Marium] Fortasse scribendum est: *interque eos.*

cum Marius — esse solatio] Poëtae ita dicenti concesserim, non, pedestris sermonis scriptori. Sed multa similia in sequioris aevi scriptoribus leguntur, praecipue apud Florum. Vid. Graevii ad Flor. praef.

Cap. XX. sed quam dux creaverat, interfectus est] Ita cod. sed in editt. ex conj. Bureri est *excitaverat.* Verum nihil mutandum videtur, cum saepius *creare* idem valeat atque *excitare.* Sic *periculum creare* Cic. in Caecil. 19. *vomitum creare* Plin. H. N. IX, 48. Contra Ruhnk. autem monendum est, talia omnino optime analogia judicari posse; si enim sola veterum consuetudine judicare vellemus, permulta, imo paene plurima emendanda essent, cum ex iis admodum exiguis reliquiis, quae aetatem tulerunt, illam consuetudinem discere ubique non possimus.

auctoritate, gratia, cujus augendae] Ita recte ed. pr. Abest *et* inter voces *auctoritate* et *gratia. Cujus augendae* sc. causa. Quod dicendi genus falso videtur Orellio infimae latinitatis esse. Cf. Sall. Cat. 6. *regium imperium, quod initio conservandae libertatis fuerat.* Tac. Ann. II, 59. *Aegyptum proficiscitur, cognoscendae antiquitatis,* coll. III, 41. Ter. Ad. II, 4, 6.

Cap. XXI. ut praescripsimus] Haud scio an nullus alius locus legatur in veterum libris ubi hanc praescribendi verbum vim habeat. Ruhnk. *praediximus* voluit; Kraus. et ed. Bip. uncinis circumdedit.

spes major affulsisset] Ita editt. ex Aldi Nep. conj. Ed. pr. *adfuisset.*

moenibus oculisque] Sic Lipsius. Ed. pr. *sociisque.*

Cap. XXII. sui quisque periculi merces foret] *Foret* glossema judicavit Lipsius, sed puto eum et vv. dd. eum sequutos omissa ante *sui* copula in erro-

rem inductos esse. Acidalius bene hoc videns scripserat *suique*. Sed nihil mutandum, ut docui ad I, 17.

Cap. XXIII. parentem, ante omnia supplicemque] Sic ed. pr. recte, sed Ruhnk. non videns ad *supplicemque* referendum esse *ante omnia*, conjecit *ad omnia* cum referret ad *parentem*. Verum semper, quantum ego observare potui, *ante omnia* praeponitur voci, quacum conjungendum est. Cf. Liv. II, 7. VII, 4.

Cap. XXIV. superaret, quod erat domesticum] Ita ed. pr. Pendet *superaret* a *vix quidquam in Sullae operibus clarius dixerim, quam quod*. Nec est, quod mireris varietatem modorum temporumque, cum nostro loco idem *quod* Ind. Perf. et Conj. Imperf. regat. Hoc enim *superare domesticum*, cum a Vellejo etiamnum enarrandum esset, ut nondum absolutum et imperfectum animo complectebatur; cum e contrario *dissimulavit, omisit, existimavit* ad res pertineant et notiones absolutas jam et perfectas illo tempore domesticae superationis, quod quasi durans ante oculos sibi collocavit scriptor.

Cap. XXV. et pessima et immodica cet.] Ruhnk. *et res pessima* praeter necessitatem.

dum vincit ac justissimo lenior] Ita ed. pr. Sed Rhenan. in margine adscripserat „Alias: mitissimo ac justissimo," unde crediderim secunda manu in cod. sic scriptum fuisse. Burerius expunxit illud *ac*; Huthius emendat: *vel justissimo lenior*. — Quod putaverunt vv. dd. rationem sermonis Latini non *vincit* sed *vinceret* postulari, falsi sunt. Cf. Zumpt. Gr. Lat. §. 506.

exarmatumque Sertorium] Ita ed. pr. Nunc in editt. est ex ed. Bas. conjectura *exarmatum Q. Sertorium*. — Paullo supra pro *ut consulem* scripsit ed. Bas. *et Cos.* quod falso receperunt sequentes editores; sed cf. me ad 2, 117. et Huth. quaest. p. 9.

qua descendens montem Tifata] Ita ed. Bas. Ed. pr. *qua demendes montem ti fata.* Finis capitis in cod. sic legebatur: *gratis Dianae, cujus nomini* (Rhenan. fecit *numini*) *regio illa sacrata est, solvit; aquas salubritate in* (*in* omisit Rhenan.) *medendisque corporibus nobiles, agros* (Rhenan. *agrosque*) *omneis adduxit* (ed. Bas. emend. *addixit*) *deae, hujus gratae religionis memoria* (Lips. emend. *memoriam*) *et inscriptio templi adfixa posti, hodieque crabula* (Rhenan. *tabula*) *testatur aerea. Interea* (Ed. Bas. fecit *intra aedem* et distinxit ante *deinde*) *deinde Con. Carbo* cet.

Cap. XXVI. inferior nomine consulis. Apud Sacrip. cet.] Sic in ed. pr. Nunc Santenio auctore est in editt. *inferior nomine consul. Is apud* cet. Sed cod. lectio retinenda. *Nomen* enim saepissime sic reperitur, e. g. *Senatus nomen* Cic. Parad. IV, 1, 27. ad q. l. cf. Klotzius in quaest. Tullianis. *Relictum filiae nomen.* Horat. Carm. III, 27, 35. ad h. l. cf. Bentl. Similiter tentatus a criticis est locus Vell. II, 69. *Vatinius nulli nomini non postferendus.* De *Apud* sine *is* recole quae dixi ad I, 1.

Ne quid] Praeter necessitatem dedit Ed. Bas. *Et ne quid.*

se ipsam transfixit] Pro *se ipsam* Voss. Ed. Bip. et Kraus. corrigunt *se ipsa,* sed Huth. quaest. p. 11. bene monuit *se ipsam* a ratione postulari, quia Calpurniae mors, morti mariti ejus opponatur.

nunc virtute eminet] Fortasse scribendum *sua virtute eminet, patria latet. Patria virtute* h. *paterna,* s. *patris v.*

Cap. XXVII. agrorum partes fuerunt] Ita ed. pr. Sed nunc ex ed. Bas. conj. in editt. est *ferunt.* Fortasse nihil mutandum est, sed *in diversas partes* scriptum pro *in diversis partibus.* Cf. Liv. II, 15. *gratiam muneris magis significante titulo; quam auctin-*

nem fortunae regiae, quae ne in potestatem quidem populi Romani esset. Ap. Cic. Div. XII, 4. est: *in Syriam* pro in *Syria.* Sext. Ruf. II. habet: *in auxilia nostra fuere Cappadoces.*

Cap. XXVIII. uti appareat — dictat. haud ita in metu desiderasse ut in otio tim. potest.] imp. quo priores ad vind. maximis periculis rempublicam usi erant, eo in immodicam licentiam usus est.] Ita Ruhnk. Ed. pr. habet: *uti adpareat populum Rho. usum dictatoris aut usu desideras Tulio Co timuisse potestatem imperio, proh res ad vindicandum maximi periculi, spolia musierantes immodicae crudelitatis licentia usus est.*

histrioni exacto] *histrioni* invenit ed. Bas. *exacto* Ruhnk. Cod. habuit: *historiarum ex alto.*

civis reipublicae] Ita ed. pr. Recte. Sed nunc e Puteani sententia est *civis Romani publice. Civis reip.* h. civis Romanus. Namque *respublica* a scriptoribus Romanis saepius simpliciter ponitur pro rep. Romana, uti *urbs* pro *Roma.* Cf. II, 30. *reipublicae omnium princeps.* Flor. IV, 2, 11. *de invadenda republica facile convenit.*

Nec tamen] Ruhnk. mavult *tantum* pro *tamen.*

Cap. XXIX. forma excellens non ea] Comma, quod in editt. *post excellens* est, expunxi.

dignitate, constantia] sc. *excellens.* In ed. pr. fuit: *ex dignitate constantiaque.* Illud *ex* in *ea,* et *que* in *quae* mutandum esse recte viderunt vv. dd.; perperam autem *et* vocibus *dignitate, constantia* interposuerunt. Cf. II, 20. *Opus erat partibus auctoritate, gratia.* De copula inter duo substantiva omissa vid. Drak. ad Liv. I, 59. coll. etiam Ruhnk. ad Vell. I, 4. Rarius hoc asyndeton esse, docet Zumpt. Gr. Lat. §. 783. *Constantiam* referas ad vultum, cum vultus constantia et aequabilitas priscis hominibus laudabilis res visa sit. Sic legimus de Socrate, cum apud alios multos, tum apud

Ciceronem de Or. III, 59. eodem semper visum esse vultu, nec aut hilaro magis aut turbato, quem Ciceronis locum ad verbum repetit Plin. H. N. VII, 18. *Dignitatem* autem ad corporis habitum referas.

omnium votorum expers] h. *optatorum*; cf. quae de eodem viro dicit Noster. cap. 33. *Neque eo viro quisquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit.* Ineptam Aldi Nep. conj. *vitiorum* applausu editt. omnes acceperunt.

Cap. XXX. fastigium evectum] Ita Heinsius. Ed. pr. *vectum*.

imaginem in jure reliquerat] h. fecerat Sulla, ut adessent quidem in jure Tribuni, sed nihil valerent. *In jure* h. e. nisi omnia me fallunt, *in loco judicii*, ut Cic. Quint. 25. fin. *statim de jure aliquis concurrerit.* id. Caecin. 19. *quandoquidem te in jure conspicio.* Verr. 2, 77. *illum in jure relinquo.*

variisque casibus affecere Italiam] h. calamitatibus, malis. Cave cum Duckero ad Florum II, 18, 2. *malis cladibus*, cum vox *casus* omnibus scriptoribus illa significatione usitata fuerit. Ruhnk. dum refellere vult vulgatum et Duckeri emendationem probare, in dumeta correpit.

mox reipublicae omnium principem] Ita recte ed. pr. Cf. me ad c. 28.

Cap. XXXI. per omnia homine major existimabatur] Ita Ruhnk. Ed. pr. *per omnia majore vi habebatur.* Fortasse scribendum: *per omnia majora vir habebatur.* h. in omnibus majoris momenti rebus is habebatur, qui conficere ea posset.

in M. Antonio praetore] Ita Boher. ad Cic. Tusc. V, 21. ut ap. Liv. XXVI, 2. *hoc idem in Cn. Fulvii legionibus nuper decretum.* Sed. ed. pr. *in M. Antonii praetura.*

In Antonio] Heins. et Ruhnk. maluerunt: *Id in Antonio.* Sed cf. me ad I, 1.

Cap. XXXII. per multos multis locis victos] Ita Lips. Ed. pr. *per multa a multis locis.* Cod. Amerbac. *per m˜lta a multis, locis victis.* Fortasse legendum: *per M. naves ac multis locis vinctos.* Quamquam certi nihil statuerim.

Cap. XXXIII. bellum piraticum] Dormitaverunt vv. dd. cum Santenio auctore *bellum Mithridaticum* scriberent pro *bello piratico.* Narrat enim Vellejus: bello piratico a Pompejo ad finem perducto, administrante vero etiamnum Lucullo bellum Mithridatis, Manilium legem tulisse, ut id quoque bellum Pompejus susciperet. Sed fefellit interpp. anacoluthon in verbis: *idem bellum adhuc administraret.* Similiter loco ap. Cic. Q. Fr. I, 1, 8. in continuata sententia parenthesis tantum respicitur, quem locum laudat Ramsh. Gr. Lat. §. 206. 6. d.

neuterque, ab eo quod arguebatur, mentitus argui posset] Sic ed. pr. Recte. Minus solitus vocum ordo et omissum *id*, puto, adeo virorum doctorum animos implicavit et perturbavit, ut explicando facillimo loco pares non essent. Certe non tantopere haesitaturi fuissent, si legeretur: *neuterque id mentitus argui posset, quod ab eo arguebatur.* Sensum sic habe: cum neuter id mentitus convinci posset, quod ab eo vituperabatur, damnabatur in altero. Sed similes loci frequentes sunt. Rutil. Lup. I, 7. *Ab uno verbo saepius quae proficiscuntur.* Vell. II, 57. *libelli dati, ab eo neque protinus lecti erant.* 68. *nequiitque senatus et auctoritate consulis deterreri.* Cic. Rep. III, 10. *ut hic juris noster interpres alia nunc Manilius jura dicat esse.* I, 36. *Qui nutu, ut ait, totum Olympum, Homerus, converteret.* Flor. II, 7. *Tergiversantibus Poenis dux legationis, Quae, inquit, mora est, Fabius.*

animo parem tulit] Vox *animo* accipienda videtur ut apud Homerum sexcentis locis θυμῷ. Dixit au-

tem *animo*, *quia* animus affectuum sedes habetur. Sed Lips. et Kraus. *aequo animo*. Ruhnk. *magnitudine parem*. Ed. Bip. interpretatur: *animo p.* h. *virtute*, laudatque Lucan. I, 125.

ut qui eos] Kraus. *ut* uncinis circumscripsit, ne repetitum offenderet. Sed cf. Cic. Rep. II, 10. *cum sibi mandasse, ut populum rogaret, ut sibi eo in colle delubrum fieret.* ibid. c. 23. *ut tum fuit Romae cum erant reges, ut Spartae Lycurgi legibus, et ut sit aliquod etiam populi jus, ut fuit apud nostros reges.*

ut libentissime iniret] Acidalius sine justa causa *libentissimo*, quod recepit Krause.

haud infacete] Ita Rhenan. et Cod. Amerb. Cod. M. habuit *infectae*.

Cap. XXXIV. Ne ab huj. q. usura gloriae] Ita Ed. Bas. Sed ed. pr. *Ab hujus quidem usurae gloria temp.* unde conj. Hutb. quaest. p. 23. *Ad hoc usque videmus, ut a gloria temperavit.*

curaque aperuit] Ita ed. Bas. Ed. pr. *eripuit*. Fortasse fuit *elicuit*; ita *elicere causas* Cic. Divin. I, 3. *e. arcana*, Liv. LX, 23. Significat autem *elicendi* verbum talibus locis idem atque indagare, investigare, scrutari.

Cap. XXXV. 1. Verba *quo haec acta sunt* glossema putavit Ruhnk. sed sic II, 4. *Interim, dum haec in Italia geruntur.*

homo virtuti] Ita Rhenan. Cod. habuit *non virtuti*.

conata obiit] Ita Acidalius probantibus Ruhnk. Kraus. ed. Bip. Ed. pr. *vota*. Cod. *nota*. Mihi maxime placet Sauppii emendatio: *fata obiit*.

proelio reddidit] Sic. Ed. Bas. Ed. pr. *supplicio*.

Cap. XXXVI. **anteaque Crassum**] Ita ed. Bip. Sed ed. pr. *saneque Crassum*, unde fecit Huth. quaest. p. 14. *Sisennamque, Crassum.*

neque ullo in suspecti operis sui carmine minorem] Ita recte ed. pr. *Suspecti* h. admirati, quod multis exemplis docent lexica. Sed ap. Cic. quoque Lael. 9, 32. nonnulli pro *suspicere* falso *suscipere* legere volunt. — *Operis sui*, ut mox in eodem capite: *perfectissimi in forma operis sui.* Cf. I, 17. *sub principe operis sui.* II, 9. *operi suo.* Sic nova comoedia *Menandri opus* dicitur I, 16. — *Carmine*; singularis hic accipiendus est, uti apud Horat. I, 6, 2. *Scriberis Vario, Maeonii carminis alite.* Etiam Orellius, ut nunc video, vocem *carmine* non intellexit. Emendat: *operis sui termino.* Lucullus igitur „nullo in operis sui termino minor fuit," cui sententiae intelligendae me parem non esse, ingenue confiteor. *Carmen* nostro loco est carminum sive poesios genus, *Dichtungsart*, uti etiam Horatii, quem modo laudavi, loco.

Cap. XXXVII. **nisi quà Luculli armis**] Ita Gruter. Ed. pr. *quia.*

neque inhoneste aliquem] Ex emend. Rhenan. nunc in editt. est: *ei inhoneste.* Sed saepius omissum pronomen demonstrativum in alio casu intelligendum est, quam relativum. Cf. Sall. Cat. 13. *quae honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant.* Cic. Phil. I, fin. *Quae potestas si mihi fiet, utar.*

redacta ad quaestorem] Ita Ruhnk. Ed. pr. *redacta in quaestoris potestatem.* Quae scriptura, quamquam cod. Amerb. quoque eam exhibeat, tamen etiam Kreyssigio probata non est, ut etiam a Romanorum consuetudine eam abhorrere censuerit. Sed quid tandem ab illa consuetudine abhorret? Utrum *redigere in potestatem*? Sed mox in eodem capite ipse Noster: *aliae tum primum in ejus potestatem redactae.* Cf.

Nep. Pelop. 5. *in potestatem Thebanorum redigere.* An *quaestoris potestas?* Sed *potestatis* vox de singulis magistratibus usitatissima est, cf. Cic. Man. 24. *potestas praetoria.* Ita *potestas tribunorum* Cic. Cluent. 17. *censoris*, Nep. Cat. 2. Cic. Verr. II, 55.

Cap. XXXVIII. stipendia pacta sit] Ita scripsi duce ed. pr. cum non videam, quare *stipendia pacisci* damnandum sit, cum *mercedem pac.*, *pretium pac.* aliaque similia dicantur.

Notavimus] Ruhnk. *Id notabimus*, sine justa causa.

Primus in Africam] Ita ed. Bas. In ed. pr. deest praepositio et fortasse addenda non fuit. Saepissime Vellejum et alios sequioris aetatis scriptores praepositiones omisisse, cum ipse saepius jam monui, tum aliis dudum notatum est.

certae pacis argumentum] Haec verba sine justa causa glossema judicasse Ruhnk. mihi videtur, licet Krausius eum sequutus uncinis circumscripserit. Repetita *argumenti* vox et hoc loco in errorem induxit viros doctos.

Cap. XXXIX. magna mox clade nostra] „Videntur haec verba ab aliena manu profecta, cum non congruant historiae, ut docte observavit Heynius.“ Ed. Bip.

Paene idem] *paene* uncis inclusit Krausius. Sed Orellius recte agnoscit exaggerationem rhetoricam, mitigatam aliquantum v. *paene.*

Ab e. f. Numidia. Cil. perdom. Isauricus et post b. Ant. V. M. G.] Ita Sigonius. Ed. pr. *Ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit, visa vicisset post bellum Antiochinum. Vulso Manlius Gallograeciam.*

paene idem] Uncis circumdedit Kraus. auctore Ruhnkenio.

Cap. XL. illum sectari] Ita Burm. et Kraus. Ed. pr. *illa fatare.* Ruhnk. *illi trahere.*

praeterquam a Paulo] Haec verba Vossio auctore pro glossemate habuerunt editores.

Cap. XLI. quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus] Ita cod. ac recte quidem, ut mihi videatur. Cur enim Vellejus non scripserit, inter omnes antiquissimos constitisse, Juliam gentem a Venere et Aenea deduxisse genus, cum in aliis etiam impudens adulator fuerit? *Antiquissimis* nihil quidem de Caesare constare potuit, quippe eum non cognoscentibus et ante ejus tempora viventibus, sed tales ineptiae a Vellejo alienae non sunt. Nobis autem non ea, in quibus scriptor, sed in quibus scribae lapsi sunt, emendanda sunt.

Quo ab his retentus est, apud eos gessit] Comma, quod post *est* posui, in editt. post *eos* reperitur, unde factum est, ut editores verba *ab his* ejicienda putarent. Cum autem cod. Amerb. habeat *hiis*, huic majorem fidem habendam censuerim, cum quod *iis* nostro loco aptius sit, tum quod e pluribus locis pateat, Rhenano et Burerio aspirationem pronominis *is* ignotam fuisse.

Cap. XLII. quanto opere] Huth. quaest. p. 19. conj. *quamque ob rem* pro *quanto opere*, et mox pro *metu suo,* legi vult *mora sua.*

tum idem enim Asiam provinciam obtinebat] Sic fortasse rescribendum. Ed. pr. *eum idem enim Asiam eam quam obtinebat. Idem* pro *is* ut mox c. 45. *Idem intra biennium restitutus est.*

Cap. XLIV. jus civitatis restitutum] Ita Putean. Ed. pr. *jus ab his restitutum.* Fortasse nihil mutandum. Sic *jus* pro *jure civitatis,* I, 14. *auctumque Romanum nomen communione juris,* quamquam hoc loco vox *communionis* dubitationem non admittit.

Cap. XLV. qui neque dicendi] Ita Vascosanus. Ed. pr. *quique dicendi.*

et aqua et igni] Ed. Bas. *ei aqua*. Sed vide me ad c. 37.

ut coepit] Ita ed. Bas. Ed. pr. *Et cupit.*

interrita] Ita ed. Bas. Ed. pr. *interita*. Ruhnk. et Kraus. ex emend. Wopkens. Misc. Obs. VIII. p. 51. *intenta*.

Clodius in senatu] Uncis inclusit Ruhnk. verba *in senatu*.

iis egressus est] Ita Ald. Nep. Ed. pr. *is*; recte, vid. Ramsh. Gr. l. §. 206. B. 6.

Cap. XLVI. unicum par Consulum] Ita Ruhnk. Ed. pr. *victus pars*.

Cap. XLVII. saepe in agminibus] Lips. Grut. Kraus. expungendam censent praepositionem. Sed non possum, quin castigem errorem Kreyssigii, dicentis ad hunc locum, *in agmine pugnare* esse in itinere cum hostibus confligere, et laudantis Liv. X, 45. Est autem Livii locus hic: „Papirio ad Sepinum major vis hostium resistit. saepe in acie, saepe in agmine; saepe circa ipsam urbem adversus eruptiones hostium pugnatum. neque obsidio, neque bellum ex aequo erat: non enim muris magis se Samnites, quam armis ac viris moenia tutabantur.“ Hic, si quid ego intelligo, de itinere sermo non est, ut Kreyssigius credidisse videtur. Sed laudare debebat ad sententiam suam probandam Suet. Caes. 57. *in agmine nonnunquam equo, saepius pedibus anteibat.* Sall. Jug. 45. *ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum aut jumentum haberet.* Illum Livii locum cum his Suetonii et Sallustii si comparamus, videmus certi nihil de dicendi usu hac in re statui posse, quamobrem neque nostrum Velleji locum temere mutandum censuerim.

exemplo inutiliter facto] Ita ed. pr. Ed. Bas. *exemplo inutili, facto salutari.*

qui si maturius tulisset] Intellige *sententiam*. Minime igitur cum ed. Bas. scribendum: *Quam*

si mat. tul. Sed saepius vv. dd. voces ex antecedentibus intelligendas non viderunt. Cf. Rut. Lup. I, 1. *Non enim pari ratione Philippus atque nos, adversis rebus medetur: sed ille usque eo nititur, quoad restituat atque exsuperet* cet. ubi falso emendat Ruhnk. *res restituat.* ibid. cap. 6. *Prudentis esse officium, amicitiam probatam appetere, non, appetitam probare.* Ruhnk. ejiciendam censet voculam *non,* quod profecto facturus non fuisset, si vidisset post *non* ex antecedentibus intelligendum esse: *esse officium.*

Cap. XLVIII. cujus animo voluptatibus vel libidinibus neque opes ullae neque cupiditates sufficere possent] Ita recte ed. pr. *Voluptatibus* et *libidinibus* sexti casus sunt, sensumque sic habet Nullae erant tantae opes, quae parare, aut tantae cupiditates, quae excogitare tales voluptates et libidines potuissent, qualibus Curio sufficere animo suo potuisset. Haec abhinc tres annos scripsi et cum Schirlitzio, V. D. gymnasii Nordhusani directore, communicavi, sed nunc, nescio utrum gaudere magis, an dolere debeam, eandem Orellii sententiam esse video, cujus verba hic adscribam: „Argutius, ut saepe, loquitur Vellejus. *Voluptatibus vel libidinibus* sunt ablativi, quos dicunt instrumenti, hac constructione: *cujus animo neque opes ullae neque cupiditates sufficere voluptatibus vel libidinibus possent.* Hoc autem propositionis membrum ad utrumque voc. et *opes* et *cupiditates* referendum est. Minus artificiose dixisset: Animum ejus neque opes ullae explebant, quibus satis voluptatum sibi pararet libidinemque satiaret, et cupiditates semper majores etiam libidinibus superabantur."

et coalescentis conditiones] Ita recte ed. pr. *et* accipe pro *etiam.* Nec puto haesitaturos fuisse vv. dd. si hic ordo verborum esset: *Ad ultimum et coalescentis pacis saluberrimos conditiones* cet. Sed vid. ad cap. 33. notata.

Cap. XLIX. et ante LXXVIII] *ante*, quod in ed. pr. deest, adjiciendum viderunt Lipsius et Ruhnk. Adjecit Krausius.

Cap. L. qui voluerant abire] Ita ed. Bas. Ed. pr. *venerant*, quae lectio fortasse vera est. Saepius enim *venio* Inf. alius verbi regit idemque tum significat, ac *velle*, cf. Plaut. Bacch. IV, 3, 18. Liv. XLII, 25. Virg. Aen. I, 528. Valer. Flacc. VI, 650. Stat. Theb. V, 21.

persecutus Brundisium, ita ut] Legendum conj. Ruhnk. *persecutus Brundisium iter.*

remissi ad Pompejum] Ita ed. Bas. Ed. pr. *remisit*, recte. Omissum *eos* in errorem induxit. Sic supra c. 45. falso ed. Bas. scripsit *ei aqua*, ad quem locum recoli jussi, quae monui ad c. 37.

Cap. LI. quo minus et cum vellet] Ruhnk. vult: *et cum vellet, et quo vellet;* Huth. quaest. p. 24. *quo minus ad imbelles ipse;* sed nihil mutandum, cum: ET *cum vellet — perveniret*, respondeat sequentibus ET *primo paene — jungeret.*

quibus non Hispaniensis natus] Ed. pr. *Hispaniae Asiae natus.* Nostrum debetur Lipsio. Kreyssigius emendat: *non Hispaniae adsignatus.* Sunt autem haec ejus verba: „Sic locum misere depravatum correxi. Nec temere ut opinor. Hominem enim, qui vel in Coloniam Hispaniensem missus, vel quacunque de causa domicilium in Hispania collocare jussus est, *Hispaniae adsignatum* recte dici, pro certo habeo. Quam facile autem ASSIGNATUS in ASIENATUS sive Asiae natus corrumpi potuerit, non est, quod operosius demonstrem.“ Mirum quantum Kreyssigii conjectura mihi placeret, si allatis locis probare potuisset, revera quemquam „terrae alicui sive provinciae assignatum“ dici posse.

Cap. LII. quam ut in omnes partes, ut militari et verbo et consuetudine utar, dimitteret] „Vascosan. *quam ut in omnes p.* Ed. Bas.

quam ut omnes patres. VV. dd. in *vulgari locutione in omn. part. dimittere,* ridicule quaerunt verbum militare, quod e contextu excidisse, recte viderunt Schefferus Misc. Obs. Vol. VIII. p. 460. et Burm. ad h. l. Sane Vellej. aut hoc, aut non multum dissimili modo scripserat: *neque prius, neque antiquius quidquam habuit, quam ut in omnes partes praecones clamantes,* PARCE CIVIBUS, *ut militari et verbo et consuetudine utar, dimitteret.* Res clara et perspicua est e simillima narratione Appian. B. C. II. p. 759. Suet. Caes. 75. Flor. IV, 2, 50. ubi vid. Freinsh. Parca autem an illud ipsum vocabulum sit, quod Vellejus *militare* dicit, ut Scheffero placet, in medio relinquo, satis habens, si minus verba Velleji, at sententiam restituisse." *Ruhnken.* Sed ulcus etiamnum medicum exspectat.

Cap. LIII. tam facilis esset annorum digestio] Ed. pr. *tam felix.* Nostrum invenit Ed. Bas.

Cap. LIV. ubique vivebat nomine] Lipsius. Ed. pr. *ubique Jubae nomine.* Huth. quaest. p. 18. conj. *ubique jure ac nomine.*

Cap. LV. fortuna, mox pugnavit sua] Ita Acidalius. Ed. pr. *Ibi primo varia fortunam expugnavit via.*

quam in priores] Sic *dissimilis atque* Cic. Att. II, 3. *Quod non est dissimile atque ire.* Krausius nostro loco scripsit *quae in priores,* sed nemo veterum sic dixit.

et a duce, quam a milite] Cod. habuit: *C. A. duce,* unde nostrum invenit Ruhnk. Mihi vero verbum in litera *C* latere videtur, ac fortasse legendum: *caesum a duce, quam a milite fortius.* Uti nunc locus se habet, nescio quo referam vocem *fortius;* ad verba *acies restitutae* enim nullo pacto referri potest.

Cap. LVI. ignovit, magnificentissimis] Ruhnk. conj. *et magnificentissimis.* Sed vid. me ad I, 17.

Cap. LVII. nuntiantes dati, ab eo neque protinus cet.] Ita recte ed. pr. Puto vv. *ab* in lectione offensuros non fuisse, si esset *neque ab eo.* Sed vid. me ad II, 33. Oudendorp. ad Suet. Ner. 15. Ruhnk. ad Vell. II, 68. Reinhold. Klotz. in quaest. Tull. ad Cic. de Or. III, 38, 155.

Cap. LVIII. insignia corripuisset consularia] Ed. pr. *insignia corripuisset Cos.* Nostrum dedit Ald. Nep. — Sed cod. Amerb. *ins. corr. consulis.*

Cap. LIX. singularis indolem juvenis] Ita ed. pr. Minus eleganter nunc est in editt. e conj. Vascosan. *indolis juvenem.* Cf. cap. 61. *tanti juvenis indole,* sed ne hic quidem locus notam criticorum effugit, vult enim Ruhnk. legi: *tanta juvenis indole.*

super caput ejus] Heynius haec verba glossema habuit, quia mox sequitur *capiti.* Sed tantum abest, ut viro celeberrimo adsentiam, ut truncus mihi videatur sensus verbis ejectis.

solis orbis super caput ejus curvatus aequaliter rotundatusque in colorem arcus] Ita cod. Amerb. et ed. pr. Sed *rotundatusque colorem* Orell. hac scilicet constructione: „orbis solis super caput ejus curvatus aequaliter rotundatusque imponens colorem arcus, velut coronam, conspectus est." Plus quam decies enim, Orellii sententia, *in* temere ac fortuito in Velleio inculcatum est. Huthius emendandum censebat: *interundatusque in colorem arcus,* sed quem locum ad firmandam conjecturam suam e Solin. c. 17. laudat (Fulvo nitent (sc. tigres). Hoc fulvum nigrantibus segmentis interundatum), is prorsus dissimilis naturae est. Docet Solini locus, *interundandi* verbo Latinos usos esse de colore aliquo, alii colori eique quasi primario immixto. Sed noster locus longe alius est. Jam vero Kreyssigius putasse videtur, solem in arcum coelestem mutatum esse. Emendat enim: *in coloreum arcum,* laudatque locos Virg. Aen. V, 89. *mille jacit varios adverso sole co-*

lores; et Cic. N. D. III, 20. *arcus enim ipse ex ni-* *bibus efficitur quodam modo coloratus.* Sed senten- Velleji, luce clarior, haec est, solem in arcus speci- formatum esse, arcus formam reddidisse, minime aut- variis coloribus distinctum in arcum coelestem mutat- esse. *In colorem arcus rotundatus* accipe ut Ov. M- XV, 509. *cumulusque immanis aquarum in mon-* *speciem curvari et crescere visus.* Sic *in specie-* ibid. III, 685. *inque chori ludunt speciem; in modu-* Cic. Verr. V, 28. extr. Liv. XXXVII, 46. extr. *in* *morem* Flor. III, 8. Virg. Ge. I, 245. II, 256. - Aen. VIII, 88. cet. — *In colorem arcus* autem ide- esse, atque *in speciem arcus,* eo facilius mihi persuadeo, cum non uno loco *color* idem significet, ac *species, form-* cet. Cf. Cic. Att. IV, 16. med. *amisimus — colore-* *et speciem pristinam civitatis.* Quinctil. VI, 3, 107. *urbanitas non tam sit in singulis dictis, quam in* *toto colore dicendi.*

Cap. LX. ab Antonio, actorum ejusdem, insertis falsis civitatibusque corruptis commentariis] Ita recte ed. pr. Sensus est: pecunia illa occupata est ab Antonio, postquam corruperat commentarios Caesaris eo quoque, quod falsas civitates inseruerat. Ubicunque autem Cicero in Philippicis ob corruptum Caesaris testamentum in Antonium invehitur, etiam addit, quod provinciis totis et populis civitatem dederit, fingens ex Caesaris voluntate id fieri. Cf. Phil. II, 37. III, 12. V, 4. p. 161. ed. Schütz. XII, 5. De plurali numero *civitates* recole, quae supra dixi ad I, 14. — *que* pro *quoque* cf. ad I, 8.

Cap. LXI. Ab eo, annum cet.] Ed. Bas. *At* *ab eo,* hic quoque praeter necessitatem.

Cap. LXIII. per aversam castrorum] *sc.* partem. Sic *pars* intelligendum est in *laeva, dextra,* *sinistra* aliis. Non igitur scripserim cum ed. Bas. *aversa-* (Sic *dextra* pro *dextra parte;* Plin. XII, 14. *Sabi-*

regio a dextra maris scopulis inaccessa; laeva p. *laeva parte:* Liv. IV, 32. *dextra montibus, laeva Tiberi amne septus; sinistra* p. *sinistra parte,* Cic. Phil. VI, 5, 12. *Adspicite a sinistra.* de Div. I, 39, 85. *Cur a sinistra cornix faciat raptum].*

Cap. LXIV. qui illa dederat] Arridet mihi script. ed. pr. *quia.*

Cap. LXV. quam inimicae ipsi] Praeter necessitatem ed. Bip. et Kraus. *et* ante *quam* intulerunt, ante *subinde* omiserunt. Conjunge: *cum Antonius* ET *subinde Caesarem admoneret — denuntiaret*QUE se cet. *Et — que* saepissime pro *et — et* etiam apud alios scriptores reperitur.

jungentem praetoria] Sic *equos curru jungere* Virg. Aen. VII, 124. *improbitas scelere juncta.* Cic. Or. II, 58. extr. *defensione juncta laudatio.* Cic. Brut. 44. Haud igitur opus fuit emendatione Ed. Bas. legentis *praetoriae.*

Cap. LXVI. Cicero proscriptus est] Krausius et ed. Bip. spurium judicaverunt hoc *est,* quia ter repetitum ipsorum auribus male sonabat. Sed Cf. Cic. Rep. I, 8. *Nec vero nostra quaedam* EST *instituenda — ratio, sed — disputatio repetenda memoria* EST, *quae —* EST *a P. Rutilio Rufo — exposita.*

irritando necem] Ita ed. pr. Nec video, quare dici non possit: auctoramento irritare aliquem ad aliquid. Sed aliter visum est vv. dd. *invitando* satis languide et frigide legentibus. *Irritare ad aliquid* idem valet ac *instigare, excitare, impellere ad aliquid.* Cf. Liv. VI, 27. *interim tribunos plebis fama ea ipsa irritaverat magis ad susceptum certamen, quam deterruerat.* ibid. c. 28. *locum insignem memoria cladis irritaturum se potius ad delendam memoriam dedecoris, quam ut timorem faciat. Irritare aliqua re* dici, doceant hi loci: Ov. Fast. II, 649. *irritare cortice flammas* id. Remed. 133. *irritare vitia vetando.* —

Nunc video Kreyssigium idem monuisse, quod ego. Adscribam Kreyssigii verba: „*irritando].* Hoc recte, licet Vellejus ipse cap. 67. *velut in dotem invitamentumque sceleris* scripserit. Contra Lipsii conjecturam *invitando* tuetur Doederlinus Synonym. Lat. Part. I. p. 157. Ita tamen, ut verborum structuram non perspexisse videatur. Satis apposite autem admonet loci Ovid. Met. I, 140. *Effodiuntur opes,* IRRITAMENTA *malorum.* Neque intelligo, cur dici nequeat *auctoramento funebri ad consulis necem irritare,* id est *provocare,* ut Crollius optime interpretatur." In quibus maxime admirationem meam movent verba: „Neque intelligo, cur dici nequeat" cet. cum ipse ante abhinc tres annos jam scripsissem verba simillima: „Nec video, quare dici non possit" cet.

exsecrabitur citiusque in mundo g. h. quam cedet] Ita ed. pr. Usitatius fuisset: *tuumque in eum f. e. citius.* Sensus est: „et homines potius factum tuum exsecrabuntur, quam probabunt." — *citius* q. *potius* cf. Cic. Phil. II, 11. „citius dixerim." Brut. 67. „eam citius veteratoriam, quam oratoriam diceres." — *Cedet* h. desinet exsecrari.

Cap. LXVII. inter exsecrationem] Heinsius *et inter.* Falso, ut saepius jam docui.

Cap. LXVIII. Africaque] h. *in Africa quoque.* Haud raro enim terrarum nomina sine praep. leguntur. Cf. Flor. I, 16, 3. *Non modo Italia, sed toto orbe terrarum.* Apud eundem III, 22, 2. leges *et jam Africa, jam Balearibus insulis fortunam expertus;* ubi codd. habent *Africae,* et cum J. J. Gronovio Heinsius conj. *in Africa.*

in agris occulte] Ita Lipsius. Fortasse retinenda est Rhenani scriptura, *haud magis occulte bellicum* cet. sic. cap. 109. „ex male dissimulato agebat aemulum."

ei excedendum foret] *ei* pro *sibi.* Cf. Cic. Or. I, 54. *se meruisse ut ei.* Liv. I, 54. *quandoqui-*

dem ut omnia unus Gabinius posset, si Dii dedissent. Cf. Tzschuck. ad Mess. Corv. 23. Zumpt. ad Cic. Verr. I, 34, 86. Hinc apud Rut. Lup. II, 7. lege: *hic vero princeps paullum illud, reliquum quod habet, mentis ac sensus, poculis extrudere* ex se *festinat,* pro mendosa librorum scriptura *ex ea.* Ex eo h. ex se.

Cap. LXIX. et Vatin. nulli nomini] Vid. ad cap. 26.

aqua ignique damnatis] Vocem *damnatis* verbis *aqua ignique* anteponendam censuit Gruner. sed nihil mutandum, ut saepius jam docui.

Cap. LXX. manifesta denuntiatione] Ita Heins. Ed. pr. *manifeste.*

ac male mulcatum] Ita Putean. Ed. pr. *multatum.* Cod. Amerb. *mulctatum.*

in altiora se receperat] Ita ed. Bas. Ed. pr. *in altiora receperat.*

Cap. LXXIII. cogitator celer] Ita cod. Sed in editt. ex Rhenan. conj. est *cogitatione.* Quamquam vox *cogitator* alibi non legatur, contra cod. fidem eam non abjecerim.

Cap. LXXIV. qui justa divisione] Ita Kraus. e Vascosani emend. Ed. pr. *juste.*

Cap. LXXV. Caesaris arma, jus] Sic rescripsi. In cod. fuit *arma nus.* Ruhnk. *manus,* quod recepit Kraus. — *Arma, jus* pro *arma et jus,* omissa copula. — *Arma alicujus fugere* notissimum est. — *jus* h. ditionem, ut Liv. XXXIX, 24. *sub jus judiciumque regis venisse.*

Cap. LXXVI. in eo non fraudabo] Praepos. expunxit ed. Bas.

Cap. LXXVII. adventu suo] Verba haec suspecta habuit Ruhnk. cum nunquam in patriam redierit Pompejus. Orellio videntur verba emendanda, non ejicienda, cum sententia eis omissis ipsi nimis manca videatur. „Quidquod," addit Orellius, „lectio Cod. Amerb.

significat gravius hic latere mendum, ortum procul dubio, ut notavit jam Ruhnkenius, ex eo, quod librarii oculi deerrarunt in seqq. vv. *adventu suo,* unde huic loco certe *suo* videtur adhaesisse. Recta quidem sententia, Latinitate quoque a Vellejo minime abhorrente, reponeretur: *id unum tantummodo acceptum patria ei tulit,* vel, quod usitatius est, *ei retulit.*" Kreyssigius emendationem Orellii in textum recepit, addito tamen, quod Orellius omisit, vocabulo *salutare.*

Cap. LXXVIII. perducto eorum exercitu] Ita Arntzen. ad Aur. Vict. Virr. Ill. 2. Ed. pr. *producto.*

Cap. LXXIX. militi ac remigi] Ita ed. Bas. Ed. pr. *milite ac remige.*

vir virtutis nobilissimae] Vocem *vir* adjici jussit Ruhnk.

classis adversae adventu] Vocem *adversae* primus adjici jussit Heinsius.

Cap. LXXX. alienae victoriae] Ita Rhenan. Cod. *in alienae victoriae.*

ad dissimillimam vitae suae] Ita ed. Bas. Ed. pr. *ad in dissimillimam vita sua potentiam.* Suspicor interdum *ad* et *in* praepositiones a scriptoribus conjunctas esse. Sic apud Flor. IV, 12, 10. *in latrocinia promptissimi,* ubi tres veteres editiones, certe non sine codd. mss. auctoritate, habent: *ad latrocinia pr.* ibid. §. 27. alii codices habent *in id tempus*, alii *ad id tempus.* Nimirum scribae, pleonasmum non intelligentes, unam alteramve praepositionem omiserunt, et, cum aliam alius adoptaret, lectionis varietas inde nata est. Similia dedi ad I, 17. et dabo ad c. 117.

Cap. LXXXI. agri ejus relicti] *Agri* adjici jussit Ruhnk.

Cap. LXXXII. Qua aestate Caesar tam prospere sepelivit in Sicilia bellum, fortuna in Caesare et republica militavit ad

Orientem] Ita Ruhnk. Sed ed. pr. *tam prospere Libium in Sicilia, bene fortuna in Caesare et republica militavit ad Orientem;* Huth. quaest. p. 15. emendat: *tam prospere rem civium in Sicilia tenet, fortuna in Caesarem et remp. militavit ad Orientem.*

ac tot illis legionibus] Ita Heins. Ed. pr. *acto illis,* pro *ac tot illis.*

cothurnisque subnixus] Ita Ruhnk. Ed. pr. *succinctus.* Recte Orellius censet levem ἀκυρολογίαν potius agnoscendam, quam quidquam mutandum esse.

Cap. LXXXIII. et in omnibus venalis] Ed. Bas. et Lips. deleverunt praepos.

Cap. LXXXIV. aliqui transfugiebant] Sic Rhenan. Cod. habuit: *aliquid transfugiebat.*

nam Duillius exempli sui tenax] Ed. pr. *nam de illius exemplis vitae naxuta ad Dolabellam.* Ruhnk. duce Seneca Suasor. 1. sic restituere locum tentavit: *Nam Duillius, exempli sui tenax, ut a Dolabella ad Cassium, a Cassio ad Antonium, ita ab Antonio transiit ad Caesarem.*

Cap. LXXXV. Videbis e suo] Ita rescribendum mihi visum est. Ed. pr. *videbit e suo.* Ruhnk. conj. *Quis dubitet suo.*

Cap. LXXXVI. nisi paucissimi] Ita Kraus. In ed. pr. deest *nisi.* Orellius conjecit: *interemptus est: pauci summoti, et ii, qui cet.* *Summoti* a re publica, h. in exsilium expulsi, ut cap. 68. his.

triumviratus sui] Vocem *sui* uncis inclusit Krause, suadente Herelio. Sed saepissime pronomen abundat ap. Nostrum. Cf. II, 17. *undequinquagesimo aetatis suae anno.* 40. *monumenta victoriae suae.* 82. *fugam suam victoriam vocabat.* 62. *sine imperatore suo.* 69. *ad ictum servi sui.* 88. *nominis sui.*

si sic licuisset] Vascosan. expunxit *sic* probantibus Ruhnk. Kraus. Sed cf. Ter. Andr. I, 2, 4. *Mirabar hoc si sic abiret.*

Cap. LXXXVII. morsu ejus sane expers] *morsu sane ejus, expers* habet ed. pr. unde nostrum invenit Aeidal.

jussuve ejus] Haec glossam sapiunt Krausio.

ab eodem victum] Ita recte cod. Nunc in editt. ex Acidalii conj. *ab eodem devictum*.

dederat primus Trebonius] Vocem *primus* adjecit Ald. Nep.

Cap. LXXXVIII. equestri et splendido] Ita rescribendum duxi. Ed. pr. *equestris et splendido genere*; recentiores editt. e Vascosan. et Ed. Bas. conj. *equestri sed spl. gen.* Sed fortasse nihil omnino mutandum est. *Equestris* masculini generis antiqua terminatio esse potest. Quae enim nunc habemus duodecim tertiae declinationis adjectiva terminatione *er, is, e* (e. c. *equester, equestris, equestre*) exeuntia, ea primitus duos tantum exitus (*is, e*) habuerunt, et interdum etiam optimi scriptores masculina terminatione *is* usi sunt. Sic Cic. de div. I, 57. *annus salubris;* Auctor ad Herenn. II, 4. *locus celebris;* Liv. XXVII, 1. *tumultus equestris;* ibid. 26. *tumulus silvestris.* Fuit igitur terminatio *is*, generis communis.

angusti clavi pene] Ita recte fortasse ed. pr. *Pene*, cognata vox Graecae πήνη, a qua est deminutivum *penula*, quia uno hoc loco servata nobis est, a viris doctis non est intellecta. Fuisse autem *penem* vestimenti genus, haud difficili conjectura assequi possumus.

Cap. LXXXIX. urbem, quo occursu] Ita Lips. Ed. pr. *urbem occursus*.

reipublicae forma revocata] Ita ed. pr. Acidalius, quia in antecedentibus *revocata pax*, scripsit *forma renovata*. Vide ad I, 4.

scriptorem fatigant] Ita ed. pr. Acidalius scripsit *fatigent*, et editt. sequentes eum secuti sunt, sed videtur mihi Indicativus hic accipiendus, ut in *longum est, infinitum est,* ceteris.

Cap. XC. et convaluere quae] Ita scripsi, cum in ed. pr. esset *coram aliero*. Audacior est Kreyssigii emendatio, qui locum ita restitui jubet: „Sepultis, ut praediximus, bellis civilibus, coalescentibusque rei publicae membris, habita est cura alienorum, quae tam longa armorum series laceraverat."

feris multisque nationibus] Recte ed. pr. *feris multisque nationibus* h. *multis feris nation.* Minus fortasse in verbis offendissent vv. dd. si fuisset *multis ferisque*, cum tamen nihil referat, utrum priore an posteriore loco vox „multis" posita sit. Sic Cic. Agrar. II, 32. *multum diuque*, sed Phil. XIII, 5. *diu multumque*. — Facit etiam ad ed. pr. scripturam tuendam Plin. H. N. III, 24. *Incolae Alpium multi populi*. — In mentem venit loci lib. II. c. 26. *multa fortiterque molitus*, qui et ipse Kreyssigio non placuit. Scribendum credit: *multa strenue fortiterque molitus*, cum Liv. XXI, 4. habeat: *ubi quid fortiter ac strenue agendum esset*.

secundi belli Punici] Vocem *belli* adjici voluerunt Heins. Ruhnk. Kraus.

amissis praeterea imperatoribus] Sic scribendum censui, cum ed. pr. habeat *praetor*, unde Ed. Bas. fecit *populi Romani*, quod cum audaciore conjectura consecutus sit, tum summopere languere mihi videtur.

etiam nonnunquam periculum] Vocem *etiam* ejici vult Ruhnk.

Cap. XCI. ut publica quisque ruina] *ut* primus adjecit ed. Bas.

Cap. XCII. praesentia sua pacis suae bona] Locum, quem non dubitanter inter elegantissimos Velleji retulerim, Ruhnk. depravavit ejiciens vocem *sua*, ut *praesentia* referatur ad bona. Nihilominus Krausius et Ed. Bip. Ruhnk. sequuti sunt.

vetere consulum more ac severitate] Verba haec minime sunt ejicienda, cf. me ad I, 13.

Cap. XCIV. quo trimo, ut praed.] Ita Ald. Nep. Ed. pr. *quo primo*. Mox verba *Drusi* — *fuerit* glossema habuit Ruhnk. Sed nondum sanatus videtur mihi locus.

sperari potuerat visusque,] Vulgo comma ante *visusque* ponitur, quare viri docti emendandum putaverunt *visuque*. Construe: *sperari potuerat et visus erat.*

Artavasdi . . dedit] Lacunam explet Ruhnk. *regnum ejus, Artavasdi ereptum, Tigrani dedit.*

Cujus rex quoque] Assentiri non possum Ruhnkenio scribenti *Quin*. Saepius enim remotius est subjectum, ad quod relativum respicit. Cf. II, 56. *Cui magnam invidiam conciliarat M. Antonius.* I, 11. *Hic idem, primus omnium* cet.

Cap. XCV. belli molem experiri] Sensus est: Voluit Caesar, ut reversus inde Nero haud mediocre bellum experiretur. Cave igitur, cum Heinsio *mole* scribas.

alteri vis censori] Conjunge *alteri censori vis*. Ed. Bas. praeter necessitatem *censoriis*.

aut objicientes audire] h. *eos qui objiciebant aliquid adolescentibus.* Ruhnk. verba *aut o. audire* abjicienda statuit, sed vid. me ad c. 47. Nunc video Orellium quoque locum recte intellexisse. Sunt haec ejus verba: „Vv. *aut objicientes audire* suspecta Ruhnkenio, Krausio, Cludio. Verum nihil simplicius, nihil rectius: „Plancus nihil objicere ipse poterat adolescentibus aut alios iisdem adolescentibus objicientes audire." Errarunt in eo VV. DD. quod cogitatione supplebant objicientes sibi, Planco."

Cap. XCVI. inchoatum ab Agrippa] Praepos. adj. Lipsius. Sed fortasse adjicienda non erat. Saepius jam monui Nostrum ad omittendas praepositiones propensum fuisse.

Cap. XCVII. vel industria percipit]. Cf. Cic. Q. Fr. I, 1, 10. *percipere virtutem et humanitatem.* Minime igitur cum Lipsio nostro loco legendum est *perficit.*

peragratusque victor] Oudendorp. ad Suet. Aug. 93. conj. *pervagatusque,* quod probaverunt Ruhnk. Kraus. ed. Bip. quia Deponens *peragror* alibi non occurrit. Sed cum multa etiam alia in Vellejo emendanda essent, si ubique locos probantes ex aliis scriptoribus flagitare vellemus, tum commode *peragratus* accipi potest, ut alia multa Part. Perf. Pass. notionem Activ. habentia, de quibus vid. Zumpt. Gr. Lat. §. 633.

Cap. XCVIII. vigore ac lenitate mixtissimos] Vocis *mixtissimos* insolentia movit Ruhnk. ut scribendum censeret *temperatissimos.* Sed saepius jam monui, permulta apud Vellejum legi apud alios auctores non obvia. Etiam Orellius monuit, nihil esse in causa cur dubitemus, quin Vellejus ad ἀναλογίαν v. *temperatissimus,* etsi minus usitate, illum superlativum formarit.

Cap. XCIX. cujus causae mox detectae sunt] Haec spuria censuit v. d. in Ephem. lit. Gotting. 1791. Addit. p. 120. me non adversante.

maturus esset vir, is cet.] Ita scripsi, cum in ed. pr. esset: *maturus esset viris;* nunc in editt. e Vascosani conj. est: *maturus esset, veritus, ne* cet. *Maturus vir* est etiam apud Stat. Silv. III, 1, 176.

ad eum venientes] Ita Kraus. Ed. pr. *ad quem convenientes.*

Cap. C. Neronem urbis] Vox *urbis* minime cum Herelio et Krausio ejicienda, cum auctor Romanus ab urbis fortuna, fortunam terrarum orbis pendere crediderit. Similia, ad fastum Romanum pertinentia, saepissime reperiuntur.

Cap. CI. juvenis excelsissimus in insula] Ita Lips. Ed. pr. *juvene excelsissimae insulae.* Orellius suspicatur fuisse: *juvene excelsissimae indolis, in*

insula. Sic Vellejus, monente eodem Orellio, c. 114, itidem hostes, Batonem et Pinetem *excelsissimos duces* appellat.

Cap. CII. Caesari, fama fulgavit] Ita Lips. Ed. pr. *Caesaris jam avulgavit.*

Diu deinde reluctatus] Ita conj. Ruhnk. Ed. pr. *Deinde reluctatus.* Codex sic habuit, teste Burerio, ut incertum esset, utrum *diu reluctatus*, an *de reditu luctatus* legendum. Sed cod. Amerb. habet *diu de re luctatus*, in qua lectione commode acquiesci posse puto.

Cap. CIII. nedum hic implere. Contenti simus, id unum dixisse, quam in illo omnia omnibus fuerint.] Sic, partim de sua, partim de aliorum conjectura locum restituit Ruhnk. In ed. pr. legitur: *nedum hic implere tentamus: id unum dixisse quam ille omnibus fuerit, tum refulsit.*

Cap. CIV. hoc, inquit, rei publicae cet.] Vocem *inquit* damnavit Herel. et uncinis igitur incluserunt Kraus. et ed. Bip. Falso. Ruhnk. jam ad Rut. Lup. I, 5. docuit *inquit* saepius abundare, laudatis J. Fr. Gronov. ad Gell. II, 13. Servio ad Virg. Aen. III, 380. v. d. in Misc. Observatt. nov. T. X. p. 14.

erat et ab eo] Ita ed. pr. et cod. Amerb. nec ulla causa adest, cur scribas cum Lipsio: *Erat id.*

spectatus pro captu cet.] Ita recte ed. pr. *Spectatus adjutor* h. *probatus.* Ex ed. Bas. conj. nunc est in editt. *spectator,* quod, meo quidem sensu, ignavo tantum militi convenit. Similem locum habes c. 111. *habuit in hoc quoque bello mediocritas nostra speciosi ministri locum.* Libenter enim se laudavisse Vellejum, probat etiam locus c. 121. *quem mihi fratrique meo, inter praecipuos praecipuisque donis adornatos viros, comitari contigit.*

Cap. CV. recepti Cherusci gentes] Vocem *gentes* cum Lipsio deleri voluit Krausius.

et in amnibus mox] Ita legendum censeo, cum in codd. Murb. et Amerb. fuerit *et in amninus.* In editt. e Rhenani conj. est *et amnis,* cum quod prius conjecerat et ipse meum feci, minus ei placuisset. Sensus est: in numero amnium, qui transiti sunt, est etiam Visurgis, mox clade nostra nobilis. *In* valet igitur hic *inter* ut Nep. Milt. 4, 4. *creant decem praetores — in eis Miltiadem.*

in iis, quae minoris] Ita recte ed. pr. Cf. Cic. Sext. 18. extr. *in eo exercitu inimici mei fratrem praefecerat.* Liv. XXXVII, 41. *in laevo cornu praeposuit.* id. XXV, 16. *qui in Bruttiis praeerat.* Haud igitur *in* nostro loco cum Krausio delendum est.

multiplicem in virtutibus] Ejiciendam esse praepos. censuit Raphelengius.

ac hilarem potius] Ita ed. pr. Ruhnk. vult *aut hilarem.*

Cap. CVII. sub omnem motumque] Ita cod. recte. *que* h. *quoque.*

Caesar, cum incolumi] Vocem *cum* ejiciendam censet Herel.

Cap. CVIII. incinctos Hercyniae silvae campos] Heins. Ruhnk. Kraus. et ed. Bip. tertios casus esse non videntes, scripserunt *Hercynia silva.*

Cap. CIX. corpus suum custodia munivit; imperium, perpetuis armorum exercitiis [exercitu] paene ad Romanae disciplinae formam redacto,] Ita Ruhnk. quem secutus Kraus. Ed. pr. *corpus suum custodia, tum imperium perpetuis paene ad Rom. disciplinae formam redactum.* Fortasse facilius restitui potest locus sic: *corpus suum custodiarum, imperium perpet. exercitiis paene ad Rom. discipl. form. redactum,* ut locus de solis militibus accipiatur et disciplina. — *Corpus suum custodiarum* h. custodes corporis. Sic *corpus custodiariorum* Inscript. ap. Grut. p. 48. *Corpus militum* Justin. XIV, 2.

Ante *imperium* abesse copulam fortasse monendi lectores non erant.

ut neque bello nos lacesseret, et si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi, ostenderet.] Cod. habet: *ut neque bello nos lacesseretur* (Rhenan. conj. *lacesseret; at si lacesseretur,* quem ed. Bas. ex parte secutus, pro *at si* dedit *et si*), *superesse sibi vim ac voluntatem resistendi.* — *Ostenderet* adjecit Burmann.

nomen est, duceret] Vocem *duceret* primus adjecit Lipsius. Sed accuratius perpendenti mihi locum videntur viri docti temere Lipsium sequuti esse, cum saepissime verbum quod bis sive eadem sive diversa forma ponendum erat, altero utro loco omissum sit. Et fortasse, si cod. Murb. habuisset illud quod Lipsius adjecit *duceret,* editores id expunxissent ob proxime sequens *ducere.* Conferantur loci haud multum absimiles Flor. I, 10, 3. „Tunc illa Romana prodigia atque miracula Horatius, Mucius, Cloelius (sc. *visi sunt*); qui nisi in annalibus forent, hodie fabulae viderentur.“ ej. I, 1, 9. „Erat in proximo lucus, hunc asylum facit: et statim mira vis hominum (intell. *influxit*), Latini Tuscique pastores, quidam etiam transmarini; Phryges qui sub Aenea, Arcades qui sub Evandro duxe influxerant.“ Cic. Or. I, 60. „Quod dicis, senectutem a solitudine vindicari juris civilis scientia: fortasse etiam pecuniae magnitudine“ (int. *vindicatur*). Tac. Agr. 1. „Clarorum virorum facta moresve posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus (int. *omissum est*), quamquam incuriosa suorum aetas omisit.“ Sufficiant hi loci ad rejiciendum illud *duceret,* quod Lipsius Vellejano nostro loco intrusit.

Cap. CX. amotoque exercitu — Sat. admovere copias jusserat; quae paene ae. d. i. — cum Caes. se j. e.] Ita Ruhnk. et Kraus. nisi quod prior pronomen *se* post *dies* locum habere jussit

Ed. pr. *ad motoque exercitu — Saturninum admoveri placuerat, paene aequali divisae intervallo — cum Caesare juncturae erant.*

Dalmatia, omnibusque] Ruhnk. scribi jussit *omnibus quoque.* Sed recole quae dixi ad I, 8.

constitit, arma corripuit] Ita recte ed. pr. cum cod. Amerb. *Constitit* h. surrexit, ut Virg. Aen. V, 507. *Post acer Mnestheus adducto constitit arcu.* Nisi omnia me fallunt, hic quoque asyndeton non intellectum movit vv. dd. ut emendarent locum, et *constituto* legerent.

in omnibus autem Pannoniis] Praepositionem deleri jussit Heins. probantibus Ruhnk. Kraus. Sed nihil mutandum videtur. Sicuti pluralem numerum *Hispaniae* pro singulari *Hispania* dici notum est, ita etiam lectores fugere non debet pluralem numerum *Pannoniae* usitatum esse, nam Pannonia quoque in superiorem et inferiorem dividebatur; cf. Plin. H. N. XXXVII, 3. p. in. sect. XI, 2. „famam rei fecere proximae Pannoniae, id accipientes circa mare Hadriaticum."

et firmatum tantorum] Ita conj. Burer. Cod. *formatum.*

Cap. CXI. operae. Pollicitati omnia cet.] Ed. pr. *operae pollicitati. Omnia.* Restituisse mihi videor locum interpunctione mutata. Ruhnk. conj. *operae ex pollicitatione. Omnia* quam emendationem receperunt Kraus. Ed. Bip.

praesidium ultimum] Ita Lips. Ed. pr. *praesidium militum.*

simul utilitatis] Vocem *simul* conjunge cum: *quanto cum temperamento.* Quod non videntes Heinsius et Krausius, sed ad sequentia pertinere putantes, edendum putavere: *simul virtutis et utilitatis res.*

qua prudentia hiberna] Ita recte ed. pr. Burmannus, applaudentibus sequentibus editt. *providentia,*

ne vox *prudentiae* tantillo intervallo repetatur. Vi[d.] quae dixi ad I, 4.

viribus hostis elanguesceret.] Ita recte ed. pr. Ruhnk. emendat *viribus haustis* et supra post *ex*-*ercitus nostri* vocabulum *hostis* inculcat. Vid. me ad II, 33.

Cap. CXII. neque instantes sustinere] Ita Acidal. Ed. pr. *instantem.*

neque cum facientibus] Ita Ruhnk. Ed. pr. *ut* pro *cum.*

magnam Thr. manum] Ita Rhenan. conj. Cod. et ed. pr. *magna Thracum manu.*

fusa regiorum eq. man.] Cod. *fuga*, unde nostrum invenit Voss.

e quibus etiam, primi] Praepos. adjecit Boecler.

Cap. CXIII. quatuordecim alis] Vocem *alis* primus adjecit Lipsius.

Cap. CXIV. junctum vehiculum] Vocem *junctum* vel e glossa notum, vel ob literarum similitudinem excidisse *jumentis* putavit Krausius. Erras[se] mihi videtur. Liv. XXXVII, 1. *ne qua mulier — juncto vehiculo — veheretur.* XLVII, 65. *juncta vehicula — mille admodum capiuntur.*

Cap. CXV. et ob ea, quae, si] Pro *ob ea*, *ob quae.* Saepius enim abest praepositio, quae secund[o] loco ponenda erat. Cf. I, 7. *qui vitavit ne in id, quod Homerus, incideret.* coll. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 205. 6. a. Similis est locus Quintil. Inst. I, 4, 4. *non propter historias modo, sed verba.* (repetit praep. Cic. fam. X, 10. *non propter spem futuri benefici[i], sed propter magna merita.*) Vell. II, 1. *tum Pom*-*pejum — ad turpissima deduxit foedera, nec min[us] turpia ac detestabilia Mancinum Hostilium consulem.* Abest etiam praep., quae priore loco ponenda erat, ap. Flor. III, 23, 3. *qui supererant, revocante Lepido, quid aliud, quam ad bellum vocabantur?*

Senatus, donatus est] Vocem *donatus* adjiciendam primus vidit Rhenan.

Cap. CXVI. in hoc quoque gen.] Ita ed. Bas. Ed. pr. *in loco quoque genere.*

praereptus immature] Ita ed. Bas. Ed. pr. *praeferens immatura.*

Cap. CXVII. velut in hoc saltem tantummodo] Ita recte ed. pr. Grunerus jam vidit pleonasmum hic esse, sed *ineptus nugator* igitur audit doctis Velleji interpretibus. Cf. Plauti Casin. prol. v. 33. *rursum denuo.* Liv. XLI, 24, 17. *deinde postea.* Justin. XXVII. prol. *dein postea.* Vell. II, 23. *deinde post.* Liv. X, 14. *si quando unquam.* Colum. IV, 24. *tum deinde.* Cic. Rep. I, 38. *si quando si forte.* Plin. H. N. VII, 64. *quippe quoniam.* Sana est igitur lectio Rutil. Lup. I, 8. *sed initio — nos primum;* Cic. Lael. 20, 73. *quamvis licet;* Propert. II, 2, 14. *dehinc domiti posthaec.* Idem usus fuit apud Graecos, cf. Thiersch. ad Aristoph. Ran. 600. — Lacunas explere tentavit Huth. quaest. p. 26. ita locum exhibens: *et sex cohortium relatae, hoc saltem tanto in malo nobis indulgente Fortuna, ne a capto duce; sc. referrentur epistolae.* Mox vult *Rei causa persona meram exigit,* pro: *Sed causa et persona.*

ut corpore et animo] Ita recte ed. pr. namque *ut — et* interdum pro *ut — ita* legitur. Cf. infra c. 125. *tulit protinus ut voti, et consilii sui pretium respublica.* Cic. Rep. I, 37. *Quid ergo haec quadringentorum annorum aetas, ut urbis et civitatis, num valde longa est?* Fortasse etiam huc pertinet locus, quem Nonius s. v. *lentus* e Cicerone laudat: *Marcellus ut acer et pugnax; Maximus ut consideratus et lentus.* Fortasse etiam ap. Flor. III, 21. fin. *ut obsides jure belli et modo morte damnati duci jubentur; sic damnatam civitatem jussit Sulla deleri,* pro *sic* legendum est *et;* ed. pr. enim habet *sed,* quod ex

et ortum esse puto. Verum de codd. mss. lectione nihil annotatum reperio. — Sic *ut* — *etiam* est ap. Quint. prooem. 15. *Ac veterum quidem sapientiae professorum multos et honesta praecepisse, et, ut praeceperunt, etiam vixisse, facile concesserim.* — *Ut* neque *ita* neque *et* sequente est ap. Sall. Jug. 2. *Postremo corporis et fortunae bonorum, ut initium, finis est.* Flor. II, 4, 2. *Mox ut caluere pugna, statim in sudorem eunt.* Vell. II, 129. *quam illum ut honorate, nec secure continet.*

Cap. CXVIII. novitate incognitae disciplinae] Ruhnk. vix se ferre dicit tautologiam: *novitatem incognitae disciplinae*, legique jubet: *feritasque sua suavitate incogn. disc.* Quasi vero non sexcenties similes elocutiones deprehendantur! Cf. I, 10. *a mendacio simulatae originis.* II, 6. *Nihil quietum denique in eodem statu relinquebat.* Flor. III, 5, 22. *omnium ante se primus transit Euphratem.* id. IV, 12, 34. *Itaque improvidum, et nihil tale metuentem, improviso adorti.*

solita armis discerni] Ita ed. pr. sed Ruhnk. e Gronov. Observ. III, 13. emendatione edidit *decerni.* Videtur autem vulgata lectio tuenda esse. Cf. Virg. Aen. XII, 898. *litem ut discerneret.* Caes. B. C. I, 38. *neque suarum esse virium discernere, utra pars justiorem habeat causam;* ubi tamen Oudendorp. scripsit *decernere.*

jure etiam civitatis Romae jus, equestris consequens gradus.] Ita recte ed. pr. *jus* h. *merito* ut sexcenties. — *Romae* minime cum Burerio mutandum in *Romanae;* dicit enim Vellejus *Romae* quia in urbe aderat Arminius cum civitatem accepit, quod notissimum puto. — *Equestris gradus,* sunt quarti casus pluralis numeri. Puto et hic asyndeton caliginem virorum dd. oculis obfudisse.

plerumque fortunam mut.] Ita Vascosan. Ed. pr. *qui fortunam.*

Cap. CXIX. egrediendi aut occasio] *egrediendi aut* inverso ordine pro *aut egrediendi.* Ed. pr. *egredie* unde inveni quod edidi. Mox *occasio iis* bene restituit Ruhnk. cum ed. pr. haberet *occasionis.*

gentilitii tamen tumuli] Praeter omnem necessitatem fecit ed. Bas. *tandem.*

Cap. CXX. non fiducia ducis metiens] Vocem *ducis* adjici vult Ruhnk.

cerebrique influvio] Lips. conj. *effluvio.*

Cap. CXXI. Ingressa animam] uncinis circumdedit verba Krausius, cum paullo durius, censente Ruhnk., sic dicatur. Huth. quaest. p. 17. conj. *tempore in Germania imperat.* cet.

qui concussis hostium viribus] *concussis* ed. pr. Cf. Nep. Epam. 64. *ut non minus oratione illa eorum opes concusserit, quam Leuctrica pugna.* Cic. Phil. II, 42. *leges Caesaris — ut remp. concutere posset, evertit.* Est igitur *concutere* q. frangere, debilitare, et minime igitur audiendus Ruhnk., qui nostro loco *contusis viribus* conjecit.

Verba *quam erat ipsi* Aldo Nep. obedientes Ruhnk. et Kraus. uncinis circumdederunt. Sed falsi sunt, vid. me ad c. 118.

Cap. CXXIII. athletarum certaminis ludicro] Videtur vv. dd. fugisse esse substantivum *ludicrum,* idemque valere ac *spectaculum,* cum scribi juberent *certamini ludicro.* Sed cf. Tac. Ann. I, 54. *indulserat ei ludicro Augustus.* Just. VII, 2. fin. *ut etiam Olympico certamine, vario ludicrorum genere contenderit.* Liv. I, 9. *Turbato per metum ludicro.*

ingravescente in dies] Krausius Herelio auctore recepit *at ingr.* quasi orationis tenore id postulante. Sed vid. me ad II, 4.

carissimi sibi spiritus] Sic alibi *vita.* Cf. Ter. Andr. III, 2, 32. *Aeschinum, nostrarum vitam omnium.* coll. Plaut. Asin. III, 2, 24.; et *anima,* cf.

Cic. Div. XIV, 14. *vos, meae carissimae animae;* c *cor* Plaut. Poen. I, 2, 154. qui locus farraginem similium offert.

Cap. CXXIV. luctatio civitatis fuit] ed. pr. nec video causam emendationis Ruhnkenianae *luctatio civilis fuit pugnantis* cet.

Cap. CXXV. ut voti, et consilii] Cf. me ad c. 117.

constit. conati sunt] Vocem *sunt* vv. dd. damnant post brevius intervallum repetitam. Sed falsi sunt, ut saepius jam monui.

exemplo perniciosa] Lacunae signum posuit Kraus. Ruhnk. pro *ancipitia sibi* legi vult *amputavit.*

atque Hispanias — pace ac quiete] Locus difficillimus, nondum sanatus. *Atque Hispan.* scripsit Ruhnk. cum cod. haberet *Ad Hisp.* Sed cod. Amerb. *at.* Post *militia* supplet Krausius *meritus. Ut* ante *praediximus* adjecit Ruhnk. *Pace ac quite* scripsit idem Ruhnk. cum in ed. pr. copula abesset, quam commode abesse posse, saepe jam docui. Huth. quaest. p. 27 conj. *atque Hispanias exercituumque virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia paratissimus, cum imperio obtinerentur, summa pacis quiete continuit; quum ei et pietas* cet.

Cap. CXXVI. cum universa *** oculis animisque omnium, partibus eloquatur] Et hic locus etiamnum medicum exspectat. Cod. habuit: *cum insera oculis animisque omnium in partibus.* Vocem *universa* restituit Heins. *In* praep. omisit Vossius.

per omnes — metu servat immunes] Locus accipiendus videtur ut iste Gellii XVIII, 4. *per inquit magister optime exoptatus mihi nunc venis. Per* his locis adverbium est, non praepositio. Erit igitur aut ejicienda lexicographis vox *perexoptatus*, aut recipienda *perimmunis.*

Cap. CXXIX. Princeps et Caesar] Vocem *Caesar* adjecerunt Kraus. et ed. Bip.

quam celeriter] Excidit nomen proprium. Krausius supplendum conjecit *Archelaum* e Sueton. Tib. 37.

consiliorum suorum] Haec verba abjicienda censuit Ruhnk.

ut honerate, nec secure] Cf. ad c. 117.

Cap. CXXX. Pisonemque tam] Burmann. supplet lacunam: *tam infestos haberet, quorum alterius* cet.

Cap. CXXXI. hunc principem; eique] Verba *hunc Principem* addi debere, quibus respondeant seqq. *eique — destinate* censuit Lipsius.

In fine Rhenanus supplet: *aut salutaria, in felicem exitum provehite.* Vossius autem malebat: *aut pia fovete, aut impia opprimite.*

Quum haec typis descripta essent, certiorem me fecit typotheta superesse tres paginas vacuas, quamobrem adjiciendum censui fragmentum Rutilii Lupi, quod abhinc octo annos in membrana, qua libri nullius pretii tegumentum erat obductum, reperi. Videtur codex, cujus pars membrana illa fuit, saeculo p. Ch. nono scriptus. Nunc propter temporis locique angustias lectionis discrepantiam tantum adjicere potui, sed alio loco et tempore plura de membrana illa referam.

Rutilii Lupi

de figuris sententiarum et elocutionis libri primi fragmentum.

** quae [1] vident [2] unam vim hauere [3], diiungit [4], quantum distent [5] docet, suam cuique propriam sententiam subjungens [6]. Hiperidis [7]: Quam [8] cum ceterorum sententias falare [9] conaris, tu tete frustraris. Non mihi [10] prouas [11] te pro astuto sapientem intelegi [12], pro confidente fortem, pro iliverali deligentem [13] rei familiaris, pro malivolo severum. Non est [14] enim vitium, quo virtutis laude gloriari potes [15]. Hoc idem schema solet inlustrius firi [16] cum ratio postposita statim [17] subjungitur. Sic idem [18]

---

1) Haec prima membranae verba leguntur libri I. cap. 4, cujus initium hoc est: „Paradiastole. Hoc schema plures aut duas, quae“ cet.

2) *vident*, ita membr. pro *videntur*.

3) De promiscuo usu literarum b et u vide Martyrium ap. Putsch. p. 2295.

4) Ita etiam ap. Cic. ep. I, 7. et 9. in optimis membranis *dijuncti* legitur.

5) Sic etiam edit. Rhen. Libri mss. partim *distant* partim *distans* habent.

6) Vulgo *subjungendo*.

7) Ita membr. pro *Hyperidis*. In antiquissimis libris manu exaratis y non reperitur.

8) Vulgo *nam*.

9) Lege *fallere*.

10) Vulgo *non enim*.

11) Ita supra *hauere*, mox *iliuerali*, *haues*, al.

12) Sic membr. De *intellego* pro *intelligo*, quod nobis usitatum, vid. Lips. orthogr. p. 184.

13) Sic membr. pro *diligentem*.

14) Vulgo *Nullum est*.

15) Vulgo *possis*.

16) Ita membr. pro *fieri*.

17) Vulgo *ratio postposito subjungitur*.

18) Vulgo *Id est huj*.

hujusmodi: Quapropter nolo te saepius parcum apelare[19] qu........[20] parcus est, utitur eo quod satis est, tu contra, propter avaritiam, quo plus habes, plus[21] eges. Hinc te non[22] tam diligentiae fructus, quam inopiae miseria sequitur.

Anaclasis fieri solet[23] cum id quod ab altero dict est[24], non in eam mentem, quae intelegetur, sed in aliam aut contrariam excipitur. Cujusmodi[25] est vulgare illud Proculejanum: Proculejus cum filium[26] moneret et ho - - - - - - - - di[27] futuram, cum pater decesiset[28], cui vivo patre promissa[29] omnia licerent: filius respondisset[30] non esse opus saepe ea ratione moneri, nec se patris mortem - -

heic est ingens lacuna in antiquissimo liuro, qui est scriptus anno urbis milesimo septuagesimo.

---

19) Lege *appellare*.

20) Verba „quum sis avarus. Nam qui" in membrana mea legi non possunt.

21) Vulgo *magis eges*.

22) Vulgo ita *non tam*, et mox *consequitur*.

23) In vulgatis libris caput quintum hoc modo incipit: „*Anaclasis*. Hoc schema fieri solet" cet.

24) Sic membrana mea pro *dictum est*.

25) Vulgo *Hujusmodi*.

26) Vulgo *filium suum*.

27) Hic sive finis prioris, sive initium sequentis columnae deest. Perierunt in lacuna verba: „hortaretur, audacter ex bonis ipsius sumptum faceret quas in res vellet, atque opus esset: nec tum denique speraret libertatem licentiamque utendi."

28) Lege *decessisset*.

29) MSS. et edit. veteres *promisse*, unde Ruhnk. fecit *promisce*. Veram lectionem fortasse membrana mea suppetit.

30) R. Stephanus conj. *respondit*, ut congrueret vox cum sequentibus. Vulgo enim post *mortem* leguntur verba haec: „exspectare. Cui Proculejus pater: „sufficit, immo vero," inquit, „ne meam mortem exspectes, nec properes moliri, ut velocius moriar."" Sed videntur haec verba a quopiam hanc saltem paragraphum integram reddere cupiente adjecta, cum membrana mea testetur, defuisse ea in vetustissimo libro, anno p. Ch. n. trecentesimo scripto.

excerpta palatina docent perisse heic harumce figu- rarum descriptiones: epanoioseos, paradigtos[31], pro- sopopoeiae, epitrocasmi, dianoias, simploces, palillogiae — — distet[32] ab epanalepsi docet Gorgae[33] et ecsem- pla[34] supbosita[35]. Democari[36]. Erravistis erravistis — putavistis[37] praemio corrigendos esse hoemones[38] nequam.

Metathesis. Hoc schema jucundissimum fit cum duo uerua[39] repetuntur, sed inverso ordine. Hujuscemodi est notissimum illud Platonis, qui interroganti cuidam quo pacto beata fieret resp. respondisse[40] dicitur, si aut qui sapiant[41] imperare, aut qui imperent[42] sapere discant. Idem thdiciturd[43]: Prudentis esse officium amicitiam pro- batam adpetere, non prob[44] — — —

---

[31]) Quae figura sit epanoiosis nescio. Pro *paradigto* lege *paradigmatos*.

[32]) Haec omnia inde a distet usque ad sequentis pa- ragraphi verba *respondisse dicitur* in libris manuscriptis om- nibus, quibus viri docti ad editiones parandas usi sunt defuerunt. Pertinent autem proxima ad *Palillogian*, de qu Aquila Romanus 29. „Palillogia, iteratio. Haec figura re petito eodem verbo aut nomine non diversa vult intellig sed idem quod significatur, efficere vehementius.“

[33]) f. *Gorgiae liber*.

[34]) Ita membr.

[35]) Ita membr.

[36]) Genitivi haec forma notissima. Cf. Gronov. a Gell. 9, 5.

[37]) Hic duo verba membranae legi non possunt. Su spicor fuisse: *viri si*.

[38]) Ita membr.

[39]) Ita membr. pro *verba*.

[40]) Vox *respondisse* in vulgatis exemplaribus prima e paragraphi 6.

[41]) Vulgo *sapiunt*.

[42]) Vulgo *imperant*.

[43]) Lege: „Item Theophrastus dicitur dixisse.“

[44]) Haec ultima membranae meae verba sunt.